MAXIMILIANI STOLL

S. C. R. A. M. CONS. NOSOCOMII
S. S. TRINIT. PHYSICI ORDINARII,
ET PROF. PRAX. MEDICAE P. O.

PARS QUARTA

RATIONIS MEDENDI

IN NOSOCOMIO PRACTICO
VINDOBONENSI.

VIENNAE AUSTRIAE
SUMTIBUS RUD. GRAEFFER
ET SOC. MDCCLXXXIX.

Jacob. Adam, fecit Viennae.

ILLUSTRISSIMO

JOH. PET. FRANCK

AUGUSTISSIMO IMPERATORI A CONSILIIS, STUDII MEDICI, ATQUE FACULTATIS MEDICÆ TICINENSIS PRÆSIDI, AC PER UNIVERSAM INSUBRIAM AUSTRIACAM PROTO-MEDICO. PLURIUM ACADEMIARUM MEMBRO. &c. &c.

ILLUSTRISSIME VIR!

*C*um Stollii *præclara in artem nostram merita mecum reputo, numerus amicorum ante oculos verſatur, qui ob parem ingeniorum præſtantiam, animique integritatem, viro optimo, dum viveret, arctiſſima neceſſitudine jungebantur.*

In nobilissimo illo amicorum cœtu TE Vir Illustrissime *a* Stollio *summo loco habitum fuisse, eumque* TUI *amantissimum semper exstitisse, insigni testimonio comprobavit, cum omnibus viribus eniteretur, ut TE* Austriaci Imperii Civem *salutaremus; qua certe re, amoris sui erga patriam*

triam perenne monumentum Posteris reliquit.

Ita enim universam Artem Medicam studiis TUIS *augeri ornarique videmus, ut* Stollii *mortalitas magis, quam vita ejus, morte finita sit.*

Has igitur Praeceptoris optimi reliquias, cum singularis illius in TE

amicitiæ memoria, tum ſumma meæ
æſtimationis affectione adductus,
TUO *Nomini conſecratas eſſe volui;*
utpote certus, TE *illas eadem, qua*
Tibi *dantur, jucunditate ſuſcipere.*

PRÆFATIO.

Rationis medendi, quam *Stollius* anno 1777 edere inceperat, atque ad annum usque quartum 1779 tertio

 vo-

volumine perduxit, quartum nunc, & quintum, idque ultimum, volumen ſequitur.

In quarto hujus operis volumine Ephemerides anni 1780 continentur; atque ob hanc ipſam *diarii epidemici* continuationem, titulo Rationis medendi hoc ipſum opus inſignire haud dubitavi. Reliqua autem, quæ in his voluminibus conti-

nen-

nentur, dilucidandæ *Stollii* methodo non minus apta ſunt, quam illa, quæ prioribus *rationis medendi* partibus inſerta leguntur.

Diarium obſervationum medicarum, quas *Stollius* in Hungaria collegit, ad febrium doctrinam potiſſimum pertinet, atque prima, ut ita dicam elementa oſtendit, ex quibus *Stollii* pyretologia poſtea coaluit.

Ad-

Adverſaria ſequuntur clinici maxime argumenti, iisdem ferme annis conſcripta.

Quintum Volumen morborum obſervationes exhibet, *quas Stollius*, cum primum Vindobonæ ex Hungaria redux medicinam faceret, in adverſaria retulit.

Secunda ſectio hujus voluminis hiſtoriis morborum, quos *Stollius* anno 1776 in Noſocomio S. T. obſer-

vave-

vaverat, dicata eſt; regnabat autem tunc phlogoſis bile commixta.

Addidi tandem de febre rheumatica, & arthritide, aphoriſmos, quos ad intelligendam *Stollii* methodum, quam in morbis chronicis perſanandis tenebat, plurimum conferre exiſtimo.

Adnotationes quasdam ſubjunxi, doctrinæ huic illuſtrandæ idoneas.

Quæ

Quæ ad vitam optimi Viri pertinent, ex *Petzelio* a) *Stollii* amico adduxi. Scripta ad temporis rationem recenſui.

---

a) *Petzel* Denkmal auf *Stoll*; Herausgegeben von Blumauer. 8vo. Wien 1787.

ter festinante, indicationibus solum certis, remediis solum simplicissimis inhærente; neque spe, neque metu, neque pervicacia, neque præfidentia, neque aliud agendo, neque novitatis studio in transversum acto b).

Variolarum insitionem strenue promovit. Quovis anno mensibus æstivis hortum vel in vicino pago, vel in suburbio conduxerat, ut variolarum insitio majori cum emolumento, & quadam etiam cum jucunditate possit peragi. Nullum ex insitivis variolis infortunium.

Linguæ græcæ doctissimus erat *Stollius*; ut ex illius oratione academica *de præstantia linguæ græcæ*, atque ex alia quadam dissertatione de optima discendi, docendique sermonis græci ratione, quam in Additamento E prima vice excudi curavi, elucet.

Brevi post suum ex Hungaria reditum uxorem duxit. Bina proles: filius atque filiola.

Paucis ante obitum mensibus ibat anilis fabula per urbem, a *Stollio* in schola clinica sectum fuisse cadaver fœminæ contagiosa febre mortuæ; inde venenum in adstantes primum juniores medicos, dein autem in

b) *Stoll* aph. 854.

universſum populum tranſiiſſe. Verum hæc erat morbi conditio. Graſſabatur eo tempore febris rheumatico-inflammatoria, ſub larva febris putridæ deliteſcens; nam & fictitia debilitas, & capitis ſtupor, & petechiale exanthema medicos facile ſeduxerant, ut ſynochum imputrem, ut ſchola ait, pro putri haberent. At nocuit omnis apparatus antiſepticus; ſalus in antiphlogiſtica methodo. Inter alios tales ægros mulier decubuit in ſchola clinica peripneumonia rheumatico-inflammatoria affecta; mala erat a longo tempore pectoris conditio. In ſuppurationem abiit morbus. Pus copioſum ſacco incluſum in cadavere repertum. Jam ante hunc diem, quo cadaver ſecabatur, plures medicinæ ſtudioſi in urbe & in ſuburbiis ex hac epidemica febre decumbebant; ab ea die quotidie plures ab epidemico morbo corripiebantur, atque ii etiam, qui cadaveris ſectioni non adſtiterant. Ipſe *Stollius* poſt aliquot dies in febrem rheumaticam incidit, unde brevi tamen convaluit; quo ex morbo cum decumberet, *Imperator Joſephus II.* ægrotantem inviſit, ut ex viro maxime veridico morbi hujus epidemici indolem atque decurſum perciperet. En lector amice *veneni* hiſto-

riam



DE VITA ET SCRIPTIS

MAXIMILIANI STOLLII

MEDICINÆ CLINICÆ P. P. O. IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI.

Vir & arte, & facundia insignis. CELS. PRÆF.

Natus est *Maximilianus Stollius* Erzingæ, pago quodam ditionis Cleggoviensis, quæ *Principi a Schwarzenberg* subdita est, anno 1742 die 12ma Octobris. Patrem habuit chirurgum hujus ditionis non ignobilem:

 Sep-

Septimo ætatis anno datus eſt primum in diſciplinam ſacerdotis in eadem villa degentis, atque etiam cognati. Biennio elapſo ipſe pater curam habuit filii, quem ad chirurgicam artem addiſcendam animo jam deſtinaverat. Invitus ſequebatur filius, nam ſæpius, utut fruſtra, patrem rogaverat, ut totum ſeſe ſtudiis tradere liceret. Cum annus & dimidius ferme tyrocinii chirurgici ageretur, accidit infortunium, ut ruſticus, dum in ſylva arborum ramos ſecuri ſcinderet, una ſiniſtram ſibi manum amputaret; quo cruento ſpectaculo tantopere movebatur *Stollius*, ut artem chirurgicam toto animo averſaretur. Ceſſit tandem pater votis filii, illumque parocho villæ tradidit, a quo per quatuor annos primam, ut tunc fieri ſolebat, linguæ latinæ inſtitutionem accepit.

Ob inſignem in literis hisce progreſſum, atque ſingularem induſtriam ad Gymnaſium *Rotweilenſe*, ubi Jeſuitæ ſtudiis præerant, a patre mittebatur. Examine prægreſſo ad quintam ſtudiorum claſſem, quam humanitatem dicunt, admiſſus eſt. Profeſſorem ibi quoque habuit Patrem Aloyſium *Merz*, qui ingens *hæreticorum malleus* totam poſtea *Germaniam percelluit.*

At

At præter omnem patris ſpem, qui eo conſilio ad gymnaſium filium miſerat, ut litteris humanioribus imbutus, egregius arte quondam, atque etiàm eruditione inſignis chirurgus evaderet, *Stollius* noſter aſtutis fraudibus Patrum Societatis Jeſu ſeductus anno 1761, etſi pater id ægerrime ferret, in ſocietatem receptus eſt.

Tyrocinii *) triennio elapſo anno 1756 *Halam* in Principatu Tyrolenſi mittebatur, ut diſcipulos primæ & ſecundæ claſſis humaniores literas doceret. Cum autem *Stollii* inſtitutio ab uſitata *Patrum* norma plurimum deflecteret, & diſcipuli breviori atque etiam amœniori via ad veteris Latii Græciæquè ſtudia ducerentur, *ſuperiorum* ſuorum benevolentiam adeo non merebatur *Stollius*, ut odium potius illorum implacabile incurreret. Charis diſcipulis ſuis ereptus *Ingolſtadium*, mox dein *Eichſtadium* mittebatur. At tricarum tandem pertæſus anno 1767 e ſocietate disceſſit, Jeſuitarum imperium tenente *Riccio*.

In patriam redux paucis ibi ſeptimanis commorabatur *Stollius*. *Argentoratum* petiit

*) Novitiat.

tiit medicinæ ſtudia inchoaturus. At anno elapſo *Viennam* abiit, ut ad lectos ægrorum ducente *Haenio* artem ſanandi morbos addiſceret A). Anno 1772 in univerſitate Vindobonenſi ſummos in arte honores obtinuit B).

Poſt aliquot menſium intervallum in Hungaria phyſici comitatus, ut ajunt, munus adeptus eſt. Quamprimum itaque ad exercendam artem in Hungaria Stollius ſe contulerat, omni ſtudio, atque ſumma animi contentione in obſervandis deſignandisque morbis popularibus verſabatur, ut ex *collectaneis ad deſcriptionem febris Hungaricæ* C), ex pulcherrima epiſtola ad *Grantium* D), atque ex diario obſervationum, quæ quarto volumine rationis medendi continentur, luculenter apparet. Jam enim de certo in arte medica principio inveniendo propemodum deſperans, Æſculapii ſacra relinquere conſtituerat, aliæ diſciplinæ operam daturus, quæ & minus conjecturalis, atque uſu manifeſtius comprobata eſſet. At aſſidua & attenta obſervationum, quas immortalis *Sydenhamus* de febribus ſcripſerat, penſitatio, *Stollium* ægrorum ſaluti, atque artis noſtræ incremento ſervavit.

Duos,

Duos, & quod excurrit, annos, medicinam in Hungaria exercuit, cum labore multo, & gravibus morbis ita fractum esset corpus, ut spe recuperandæ sanitatis *Viennam* redire *Stollius* cogeretur. Ultimo tunc morbo tenebatur *Haenius*. *Haenii* prælectiones primum continuabat, eoque mortuo, gravissimam hanc provinciam *Illustrissimus L. B. de Stœrk Stollio* demandavit. 13 Maii anno 1776 collegia practica inchoavit.

In docenda medicina ita se gessit *Stollius*, ut magna undique turba juniorum medicorum conflueret, ut artis sanandi præcepta non ex cathedra, sed penes lectos ægrorum, ex ore fidissimæ magistræ, *summe videlicet veridicæ naturæ*, addiscerent.

Artem autem ipsam tanta cum peritia, tam fausto eventu exercuit, ut & Principibus charus esset, & maximam inter optimos cives famam adquireret. Eminent inter illos, quorum sanitas *Stollii* curæ credita erat:

Ille heros *Kaunitius*, Atlas,
Qui catus Austriacum sustinet Imperium *),

 Prin-

*) Hesiodi opera omnia. à B. Zamagna Parmæ ex typograph. reg. p. 129.

Princeps de *Czatorinsky*, summi Belliduces *Hadikius* & *Loudonius*.

Plurimos ex orci faucibus servavit: atque nostro etiam amœnissimo Poetæ *Blumauer* hæc felicitas contigit; gravissimo enim hydrope laboranti *curante Stollio* sanitas restituta est. Sanatus æger medico suo ob servatam vitam suavissimo carmine publicas grates persolvit.

Summa nempe erat in *Stollio* animi contentio, ut morborum caussas, signa, curandi methodum exactissime rimaretur; neque ullis laboribus aut fastidiis perterritus omnem vitam sanandis ægris impendebat; optime gnarus, artem sanandi, uti *Quinctilianus* de arte dicendi asserit a), multo labore, assiduo studio, varia exercitatione, plurimis experimentis, altissima prudentia, præstantissimo consilio constare. Universim ipse *Stollius* ipsissimam sui imaginem accuratissime expressit, cum optimi medici lineas traxit: Medico opus est in curandis morbis sagacissimo, summe industrio, summe attento, perseverante, nec imprudenter

a) *Quinctilian* Institut. orator. Edit. Rollin. T. I, c. 14.

ter feſtinante, indicationibus ſolum certis, remediis ſolum ſimpliciſſimis inhærente; neque ſpe, neque metu, neque pervicacia, neque præfidentia, neque aliud agendo, neque novitatis ſtudio in transverſum acto b).

Variolarum inſitionem ſtrenue promovit. Quovis anno menſibus æſtivis hortum vel in vicino pago, vel in ſuburbio conduxerat, ut variolarum inſitio majori cum emolumento, & quadam etiam cum jucunditate poſſit peragi. Nullum ex inſitivis variolis infortunium.

Linguæ græcæ doctiſſimus erat *Stollius*; ut ex illius oratione academica *de præſtantia linguæ græcæ*, atque ex alia quadam diſſertatione de optima diſcendi, docendique ſermones græci ratione, quam in Additamento E. prima vice excudi curavi, eluceſcit.

Brevi poſt ſuum ex Hungaria reditum nupſit. Bina proles: filius atque filiola.

Paucis ante obitum menſibus ibat anilis fabula per urbem, a *Stollio* in ſchola clinica ſectum fuiſſe cadaver fœminæ contagioſa febre mortuæ; inde venenum in adſtantes primum juniores medicos, dein autem in

 uni-

b) *Stoll* aph. 854.

universum populum transiisse. Verum hæc erat morbi conditio. Grassabatur eo tempore febris rheumatico-inflammatoria, sub larva febris putridæ delitescens; nam & fictitia debilitas, & capitis stupor, & petechiale exanthema medicos facile seduxerant, ut synochum imputrem, ut schola ait, pro putri haberent. At nocuit omnis apparatus antisepticus; salus in antiphlogistica methodo. Inter alios tales ægros mulier decubuit in schola clinica peripneumonia rheumatico-inflammatoria affecta; mala erat a longo tempore pectoris conditio. In suppurationem abiit morbus. Pus copiosum sacco inclusum in cadavere repertum. Jam ante hunc diem, quo cadaver secabatur, plures medicinæ studiosi in urbe & in suburbiis ex hac epidemica febre decumbebant; ab ea die quotidie plures ab epidemico morbo corripiebantur, atque ii etiam, qui cadaveris sectioni non adstiterant. Ipse *Stollius* post aliquot dies in febrem rheumaticam incidit, unde brevi tamen convaluit; quo ex morbo cum decumberet, *Imperator Josephus II.* ægrotantem invisit, ut ex viro maxime veridico morbi hujus epidemici indolem atque decursum perciperet. En lector amice *veneni* histo-

riam,

riam. At ne mireris: ipſe olim celebris Rector hujus univerſitatis a) tetri hujus contagii originem veteri proverbio explicat: Auſtria aut *ventoſa*, aut *venenoſa*.

At brevi novæ turbæ oriebantur a materia arthritica, quæ per plures annos in corpore morbis multis, iisque gravibus, ſtudiis intenſioribus, in ſeram noctem protractis, laboribus ingratiſſimis, & privatis etiam calamitatibus labefactato, magna copia collecta fuerat. Die 22 Maji alacris noctu domum rediens ſubito acutiſſima febre corripiebatur; atque omnibus remediis fruſtra adhibitis repentina materiæ arthriticæ ad cerebrum translatio die 23 Maji hora ſeptima veſpertina vitæ ſalutiferæ finem impoſuit.

---

a) De Sorbait opera medica.

INDEX SCRIPTORUM

A M. STOLLIO

EDITORUM.

1777.

Maximiliani Stollii M. D. & Profeſſ. Praxeos medicæ publici. Pars prima rationis medendi in noſocomio practico vindobonenſi. Viennæ Auſtriæ. Sumtibus Auguſt. Bernardi. 8.

Quamprimum *Stollius* poſt obitum *Antonii de Haen* demandatum profeſſoris medicinæ clinicæ munus ſuſceperat, omnis ferme in perveſtiganda morborum popularium, eorum videlicet, qui *paſſim* affligunt, ſive omnium horarum, non obſervato temporum ordine ii ſint, ſive certas tantum anni partes ament, natura, genioque verſabatur, „uſu utpote cum ſuo, tum & aliorum expertus, notionem non eorum ſolumodo morborum

borum, qui frequenter perniciem inferunt, ſed illorum etiam, qui inter vulgatiſſimos, curatuque leviores a plerisque habentur, quive affligunt potius, quam enecant, nondum ita ex omni parte completam, adæquatamque eſſe, quemadmodum vulgo exiſtimant, & non pauci vel ipſos inter medicos arbitrantur." *in Præfat.*

Præmiſſa brevi deſcriptione tempeſtatum, quæ ſingulis menſibus obſervabantur, multæ, eæque graves morborum doctrinæ in *primo hoc volumine* continentur; videlicet: Pleuritis bilioſa; rheumatismus bilioſus; inflammatio rheumatica, atque ejus a *genuina* inflammatione diſcrimen; pleuritides rheumaticæ; pleuritis occulta, ſeu latens, fallaci ſua lenitate maxime inſidioſus morbus; dyſenteria. XX ſectiones cadaverum. Excerpta ex Necrologio.

1778.

Rationis medendi Pars II.

Catarrhus bilioſus. Deſcriptio morbi, quem ipſe auctor paſſus eſt. Febris malignæ notio varia. Deſcriptio febris lentæ nervoſæ menſe Aprili usque ad Majum 1777 obſervatæ. Febris bilioſæ æſtivæ deſcrip-

tio

tio : digreſſio ad contagium peſtilentiale. Febris puerperarum. Febris æſtivæ caſus varii, atque multiplex complicatio, XXII ægrorum hiſtoriis illuſtrata, additis in illas hiſtorias reflexionibus. Paraſitica febris æſtivæ indoles. Varia.

1 7 7 9.

Anton. de Haen Operum poſthumorum Vol. I. collegit, ediditque Maximil. Stollius. Viennæ. Sumptibus Rudolph Gräffer. 8.

Tribus tomis hæc *Haenii* ſchediasmata edere conſtituit *Stollius*. At primus tantum hucusque prodiit; reliqui duo, quos jam a longo tempore Bibliopola prelo deſtinaverat, propediem ſequentur. *Alterum* volumen continebit caſus rariores in praxi Hagana collectos; *tertium* denique *Haenii Swieteniique epiſtolas*; de his autem epiſtolis ita *Stollius* ſentiebat: „ *Haenianæ* epiſtolæ placebunt cuivis artem exercitanti, *Swietenianæ* vero & huic, & omnibus iis, quibus cor ſapit. Ex quo certe *Swietenii* epiſtolas legi, quæ interiorem magni hujus viri vitam hinc inde produnt, eundem omni exceptione majorem non ſolum *æſtimo*, utpote quem ſemper maximopere æſtimavi,

ſed

ſed etiam *amo*, atque ejusdem memoria ſummopere delector." *In Præfat.*

Continentur autem in primo volumine: Caſuum variorum decas. Aphoriſmi de diagnoſi & prognoſi in acutis. Hiſtoria morborum, præcipue variolarum anno 1744 Hogæ-Batavorùm obſervatarum. De tuſſi puerorum convulſiva finiente anno 1746, & initio 1747 Hagæ-Batavorum obſervata. Hiſtoria medica annorum 1747 & 1748. Hagæ-Batavorum conſcripta. Diſſertatio de colica pictonum, olim ab auctore edita, nunc vero multis in locis ab eodem auctore correcta, & caſibus ægrorum ineditis locupletata. De his præcipue morborum epidemicorum deſcriptionibus *Stollii* judicium valet: „ Obſervationes has ſingularis quidam character commendat, nempe veri ſtudium, ſtyli grata negligentia, & animus rebus potius, quam verbis intentus, atque id unice agens, quo ſe ipſum inſtruat, alieniſſimus tunc temporis ab infauſta litigandi libidine, quæ poſteriores vitæ annos notaverat."

1 7 8 0.

Rationis medendi Pars III.

Insunt huic volumini: Ephemerides annorum 1778 & 1779. De caussa & sede phrenitidis ad *Gulielmum Grant.* Commentatio de natura & indole dysenteriæ. De morbis quibusdam systematis hepatici; præsertim de ictero. De quibusdam affectibus nervosis. Sparsa quædam varii argumenti. Idem in hoc volumine epidemicos morbos observandi studium, eademque, quæ priorum laborum dos erat, in perscrutanda horum morborum indole, complicatione varia, atque apta medendi methodo constituenda sagacitas. Non utique insolitæ res, atque monstra observationum in tribus his rationis medendi voluminibus continentur; at luculentiora certe arti nostræ incrementa ab hac observandi ratione accedere, quam a novitatis studio, quod tot & tanta in genus humanum mala protulit, palam esse existimo. Multo dignos encomio arbitror, ait *Stollius*, qui reperiundis novis insudant, sed nec inutiliter eorum locari operam, qui illorum, quæ prisca ætas tulit, notiones examinant, contrahunt, dilatant, rectificant.

cant. Illi regiones detegunt incognitas, hi patrio ſolo docent recte uti, atque id minori quidem cum gloria, ſed emolumento non impari.

1781.

Mohrenheim wieneriſche Beyträge zur praktiſchen Arzneykunde I. Th. Wien bey Gräffer. 8.

Continentur in hoc volumine *Stollii* obſervationes de colica ſaturnina.

1782.

Ger. L. B. van Swieten, conſtitutiones epidemicæ, & morbi potiſſimum Lugduni-Batavorum obſervati. Ex ejusdem adverſariis edidit Maximilianus Stoll. Vindobonæ & Lipſiæ apud Rudolph. Græffer. 8. *Vol. II.*

Ob ſimplicitatem, fidamque deſcriptionem has *ſummi Swietenii* reliquias in publicam lucem producere *Stollius* non dubitavit, etſi probe noverit, & quæ hodiernæ medicinæ conditio ſit, & quibus potior legentium numerus delectetur. „Qui enim Hip-

Hippocraticam artis ſimplicitatem hodiedum ubique crepant, hos ab eadem longiſſime non raro abeſſe video; dum aut remediis variis materiam medicam, quæ mole ſua jam dudum laborat, onerant potius, quam augent, aut methodos tortuoſas, anne lubricas dicam? & vaniſſimo profundioris ſcientiæ fuco illitas, ſtupenti plebeculæ vendunt, aut obſervationum miracula venantur, contemptis iis, quæ ante pedes ſunt ſita; quæve nemo non dudum cognoviſſe idcirco falſo arbitratur, quod, quæ frequentiſſime viderit, ea etiam pervidiſſe exiſtimet." *In Præf.*

1 7 8 3.

Rede über die Vorzüge der griechiſchen Sprache. Wien bey Anton Gaſsler 8.

Summis laudibus extollit linguam græcam, ejus præſtantiam præ latina demonſtrat, atque juventutem academicam, ut Græcorum literaturam majori ſtudio velint excolere, hortatur.

1787.

Aphorismi de cognoſcendis & curandis febribus. Edidit Maximil. Stoll. Viennæ apud nobilem de Kurzbek. 8.

Abſolutiſſimum de febrium doctrina opus, in quo omnia, quæ a *Boerhaavii* ætate ad noſtra usque tempora, fida obſervatione ſtabilita ſunt, mira brevitate conſignantur. Quæ autem a *Stollio* immutata ſint, aut addita, illos non latebit, qui comparandis *Boerhaavii* & *Stollii* aphorismis vel pauciſſimum temporis impendere non dedignantur.

Recenſitis nunc libris, quos ipſe *Stollius* ediderat, ad ea ſcripta tranſitum facio, quæ poſt obitum *Optimi Viri* typis edita ſunt.

1.

Maximil. *Stoll* Prælectiones in diverſos morbos chronicos.
Poſt ejus obitum edidit, & præfatus eſt Joſephus Eyerel. Vindobon. 1788. typ. Chriſtian. Wappler. 8.

Continet: Prælectiones de ſcorbuto, rachitide, hydrope, atque lue venerea.

Prælectiones de convulſionibus, morbis infantum; de morbis quibusdam capitis. Eundem librum in germanicam linguam traduxi.

2.

Maximil. Stoll. Briefe an die Frau v.* über die Pflicht der Mütter, ihre Kinder zu ſtillen. Herausgegeben, und mit einigen Anmerkungen vermehrt von *Joſeph Eyerel.* Wien bey Chriſtian Wappler. 1788. 8.

Epiſtolæ de matrum infantes lactandi officio.

Populari dicendi genere pericula oſtendit, quæ infantes a mercenariis nutricibus ob matrum plerumque ſocordiam, incurrunt. Fragmenta inſtitutionis de optima infantes educandi ratione.

3.

Maximil. Stoll über die Errichtung öffentlicher Krankenhäuſer Herausgegeben vom Adalbert von Becken k k. Hofrath. Wien bey Chriſt. Friedrich Wappler. 8.

De optima noſocomia publica conſtituendi ratione.

Animus erat *Stollii*, hoc ſchediasmate demonſtrandi, quo modo vaſta noſocomia pub-

publica ita poſſint conſtitui, ut retentis iis emolumentis, quæ minoribus xenodochiis propria videntur, illa detrimenta evitentur, quæ a vaſtis noſocomiis alias haud removenda eſſe paſſim exiſtimatur. Cogitationes adjungit auctor, quo modo ita conſtituta noſodochia non tantum in ſolamen præſentaneum miſerorum mortalium, ſed etiam in *artis incrementa* cedant.

4.

Joſephi Eyerel Commentaria in Maximiliani Stollii aphorismos de cognoſcendis & curandis febribus Tom. I. Vindob. typ. Chriſt. Wappler 1788. 8.

Continet primum hoc volumen commentariorum præter varias aphorismorum explicationes, quas in ipſius auctoris mihi traditis collectaneis, reperii, ſuo ubique loco inſerendas, pröemia inſuper, quæ *Stollius* prælectionibus ſuis clinicis ab anno 1776 — 86 præmiſerat. Alterum horum commentariorum volumen proxime prodibit. Eadem etiam commentaria *germanice* comparent.

5.

Dissertationes medicæ in universitate Vindobonensi habitæ, ad morbos chronicos pertinentes, & ex MAX. STOLLII *prælectionibus potissimum conscriptæ. Edidit & præfatus est Josephus Eyerel. Viennæ* 1788. *typ. Christ. Wappler* 8. *Vol. II.*

Non tantum ob dissertationes clarissimorum virorum, cl. *Closset de fontibus indicationum in morbis chronicis*, cl. *Szöets* de *arthritide*, *Cruciani de dysenteria* &c., collectio hæc dissertationum nominanda venit, sed ob aliam etiam dissertationem *de morbis mulierum*, quæ ferme de verbo ad verbum ex *Stollii scriptis*, quæ *ipse Stollius* viro cl. de *Battisti* in hunc finem communicaverat, ut eam publicæ disputationi exponeret, *descripta est.*

6.

Maximiliani Stoll rationis medendi Pars IV. & V., eaque ultima. Post ejus obitum edidit Josephus Eyerel. Viennæ 1788. *apud Græffer & Soc.* 8.

Quæ in his ultimis rationis medendi voluminibus continentur, in præfatione exposui.

ADDI-

ADDITAMENTA.

A.

Perilluſtris ac Clariſſime Domine,

Interrogaſti me heri poſt collegium matutinum, quid die veneris circa puellam illam in ſuburbio Leopoldino contigerit, adfueritne fœtor? reſpondi: me fœtorem vere cadaveroſum percepiſſe, cum reliquis mortis indubitatæ ſignis, corporis flacciditatem ſolam ſi excipias. Sed quæ ulterius acta ſunt, coram aliis tum quidem dicere nolueram, ſed ea *Tibi* ſcripto referre conſtitui.

Actorum autem ſeries hæc eſt: Acceſſi cubiculum 44 circiter horis a morte elapſis, viſurus, quonam modo cadaver ſe haberet. Fœtor aderat vere cadaveroſus, manifeſtus,

 qui-

quive non aſſuetis vix ferendus videbatur. Abdomen tumidius, quam primis 24 a morte horis, purpuraſcens, & cum livore virideſcens; nulla prorſus rigiditas; cornea penitus opaca. Cum me ferendo cadaverum fœtori & ſectionibus anatomicis jam aſſuetum exiſtimarem, victus curioſitate cadaver ſecui. Ecce anatomen: Sterno cum cartilagineis coſtarum partibus remotis rubella aqua, carnium loturam referens, utrosque pulmones inter & pleuram apparuit, qnam ex defectu ſyringis, ſpongia ſucceſſive exceptam in vas quoddam amplum ligneum expreſſimus. Chirurgus quidam ſenior cum collega juniore, qui ſectioni interfuerant, æſtimatione facta mecum ſtatuere, aquam hanc vaſe exceptam libras tres æquare, aut ſuperare. Sed adparuit inſuper cor ingens, quod thoracem anteriorem totum expleret, abſconderetque penitus pulmonem ſiniſtrum, eumque verſus ſpinam dorſi reprimeret. Pericardium diſſecturus inveni illud arctiſſime, & ex omni quidem parte cum corde concreviſſe, concretione tam tenaci fortique, ut unum ab altero vix potuerim absque læſione aut pericardii, aut ipſius cordis dilacerando ſeparare; ſeparavi tamen. Cor dextrum grande & aneuriſmatice ampliatum,

ſan-

ſanguine malc coagulato plenum; valvulæ, ſtructuraque, magnitudine excepta, naturalis. Arteria pulmonalis ampla, quæ facile pollicem immiſſum admitteret, rigiditate cæteroquin non cartilaginea, ſed naturali, usque ad locum illum, ubi arteria hæc in duos ramos dispeſcitur. At hos ipſos ramos ſolito ampliores, parietibus craſſis, & vere cartilagineis inſtructos deprehendebamus. Pulmones ad ſpinam dorſi compreſſi, ſanguine quam maxime infarcti, colore nigreſcens ſanguinis craſſamentum referentes. Ventriculus cordis ſiniſter naturali capacitate non abludens. Aorta debite ampla, parietibus tenuibus valde & ferme flaccidis. Verum magnitudines, capacitatesque ac ſitus menſurare anguſtiæ temporis, quibus concludebamur, & opus idcirco tumultuarium, prohibuere. Cranium non aperui, quod inſtrumenta & tempus me deficerent; neque etiam abdomen, tum ex penuria temporis, tum quod maximam putredinem ibi ſuſpicatus, meæ adſtantiumque ſanitati, & paulo poſt ſepelientium naribus parcere conſtitueram. Thorace deinde conſuto cadaver in tumba repoſuimus. Interfuit ſectioni, qui me ſecantem adjuvit, ſolertiſſimus —

Medicinæ ſtudioſus cum duobus chirurgis, atque uno alterove ex vicinia. Hæc digna cenſui, Profeſſor optime, quæ tibi referam.

Viennæ, 18 Junii 1771.

Diſcipulus tui obſervantiſſimus
Maximilianus Stoll
Med. ſtudioſus.

B.

MAXIMILIANI STOLL CLEGGOVIENSIS ERZINGANNI THESES INAUGURALES MEDICÆ.

VIENNÆ MDCCLXXII.

I.

Dantur morbi inflammatorii cum pulſu aut naturali, aut tardiori, quam in ſanitate eſſe ſoleat.

II.

Tunc autem præſentia febris ex reliquis ſymptomatibus, cephalalgia, dedolatione, vigiliis, jactitatione, dolore, calore agnoſcitur.

III.

Patet ergo morbum inflammatorium pro non inflammatorio, febrim continuam remittentem pro exquiſita intermittente non raro haberi, ſi potiſſimum criterium ſemper ex pulſu petatur.

IV.

Plurimum intereſt, ut morbi initium exacte determinetur; cum ſupputatio dierum criticorum inde pendeat, quæ, quid ſperandum, timendumve, moliendumne quid ſit, an quieſcendum, attentum medicum docebit.

V.

Initium morbi acuti plerumque ab initio febris æſtimandum eſt, non autem ab initio ſymptomatis cujusdam febrim præcedentis: horror, calorque ſubſequens febris initium docent. Eſt tamen, ubi horror ſerius accedit, & morbus a laſſitudine incipit, homine interim per aliquot dies ὀρθοστα-δὴν ægrotante.

VI.

Dejectus appetitus, nauſea, vomituritio in acutorum principio rariſſime a ſaburra circa præcordia hærente naſcitur, cum, quod homines plerumque ſaniſſimos antea, & quin in aſſuetam diætæ normam peccarint, his ſymptomatibus affici videamus; tum quod excuſſa, quæ putabatur ſaburra, adeo non tollantur hæc incommoda, ut etiam exaſperentur. Patet hinc uſus aut abuſus emeticorum in acutorum exordio.

VII.

VII.

Ante crisin morbi acuti nunquam licet dare purgans, nisi materia *turgeat*; plerumque autem non turget.

VIII.

Aucto humorum motu, inductaque eorundem rarefactione, aut diathesi phlogistica, vasorum interim capacitate non aucta, species quædam debilitatis oritur, quam *fictitiam* apellamus, a sufflaminato humorum motu oriunda, cui venæ sectio, plerumque sæpius repetenda, medetur. Fictitia hæc debilitas frequentissima est in acutis.

IX.

Datur etim debilitas *vera* in acutis, quæ a *fictitia* probe distingui debet, & quam ex κενεαγγεία, aut præsenti gangræna cognoscimus.

X.

Ex idea *debilitatis fictitiæ* dari ratio potest, quare in maxime malignis morbis pulsus sæpe dicatur vix incitatior naturali, & debilis: cur malignissimum morbum, pestem videlicet, quidam febris expertem dicant, licet extremus vehementissimæ febris effectus adsit: vis cordis videlicet, arteriarum-

rumque aucto humorum volumine ſufflaminata.

XI.

Patet inde, an in hisce acutis ſtimulantia conveniant? an non optimum cardiacum plerumque venæ ſectio ſit?

XII.

Venæ ſectio eo usque repeti debet, usque dum debilitas hæc fictitia emendetur.

XIII.

Dolor, reſpiratio difficilior, pulſus celerior non ſemper poſtulant venæ ſectionem; cum hæc ſymptomata a materia morbi mota, a flatibus, ab indigeſtione tempore morbi, oriri queant. Sed horum abſentia, acriſia morbi, diuturnitas ſymptomatum, eorumque vehementia venæ ſectionem indicant.

XIV.

Die critico nunquam facienda eſt venæ ſectio, niſi materia morbi mota nobilius viſcus, vehementer, & adhibitis licet auxiliis aliis, pertinaciter afficiat, illamque ibi infigat ita, ut novus inde morbus, præſenti perículoſior naſcatur.

XV.

Symptomata in acutis gravia, insolita, diuturna, & ad methodum antiphlogisticam maxime rebellia, exacerbataque veram *malignitatis* ideam absolvunt, non autem sanguis venæ sectione dissolutus, ejusque effectus.

XVI.

Si morbi malignitas corticem peruvianum exposcat, pessime negliguntur auxilia reliqua reliquis dicata symptomatibus.

XVII.

Purgans lene in acutis post factam crisim utiliter datur, ut primæ viæ a sordibus tempore morbi collectis liberentur, & si quæ a materia, quæ excerni deberet, adhuc cum humoribus oberraret, ea versus intestina determinetur.

XVIII.

Purgans & venæ sectio etiam post benignissimas variolas administrari debent, sæpius subinde repetenda: quibus neglectis non raro pravæ, ad oculos præcipue pectusque metastases fiunt, a materia morbi videlicet necdum penitus evacuata.

XIX.

Febres intermittentes *per ſe* nec venæ ſectionem, nec evacuationem alvinam admittunt.

XX.

Ergo male pro regula ſtatuitur, corticem peruvianum in intermittentibus cum purgante mixtum propinari debere.

XXI.

Quæcunque tuſſis, quibuscunque ex cauſſis orta, in corpore infantili, quod totum quaſi nervus eſt, ſi gravius ingruat, *convulſiva* eſt. Ergo tuſſis *convulſiva infantum* male ſemper dicitur morbus ſui generis, & ſpecificus, poſtremis hisce ſeculis ex Africa in Europam translatus.

XXII.

Inde ratio habetur, cur in hac tuſſi emeticum ſubinde proſit, noceat ſæpe, & cur tam diverſa in ejus curatione methodus ſit.

XXIII.

Ab effectu medicamentorum ſanguini ſuis adhuc in vaſis contento affuſorum, aut externe adplicatorum, male concludimus de eorundem effectu ore aſſumptorum. Hinc

XXIV.

XXIV.

Tinctura cinnamomi in hæmorrhagiis solum tunc convenit, quando post magnam hæmorrhagiam, loco vulneris per alia prius probe munito, vires vitæ languent. Nam spiritus vini in tinctura præsens superstites in vasis humores rarefacit; fixius cinnamomi aroma, & vis ejus roborans partes solidas stimulat, roboratque. Sic dum interea corpus prudenter nutritur, prior proportio inter vasorum capacitatem, & humorum circulantium volumen redit. Ad ipsas vero hæmorrhagias sistendas, quacunque ex caussa ortas, nequaquam valet, imo letifera esse potest.

Col.

C.

Collectanea ad descriptionem febris hungaricæ pertinentia.

1) Febres acutæ frequentes sunt in Hungaria 1. ob strictum corporis habitum, 2. labores æstuante sole; 3. perfrigerationem tempore noctium vernarum & autumnalium, quas pro more sub dio transigunt. 4. Ob pravam in initio motus cujusdam febrilis medelam, 5. pravam puerperarum tractationem.

2) Inito calculo *plures*, qui acute decumbunt, moriuntur, quam sanantur.

3) Inter omnes acute decumbentes *plures* sunt, qui petechias acquirunt, quam qui aut nullas, aut alia exanthemata habent.

4) Qui sanantur, *tarde*, *difficulter* sanantur, languent per menses.

Cura *primo* aut *nulla*, quod quidem rarius est, etsi feliciores forent ægroti, si sibi permissi nullam adhibeant curationem, quam adeo perversam, ut solent.

Secundo, aut *curam perversam*, quam muliercularum chorus suadet, & *mos antiquus* imperat; aut Dominarum pagi intem-

pe-

peſtiva ſedulitas ſubminiſtrat. Curationes autem his potiſſimum abſolvuntur. Venæſectio plerumque nulla fit, cum quod chirurgus ſæpe non adſit, tum quod ruſtici mori potius ſe velle dicant, quam tantum pecuniæ pro venæ ſectione ſolvere, quam quidem ſæpe re vera non habent. Piper cum ſpiritu vini, vinum, ſpiritus vini cum melle. Ad æſtum febrilem temperandum glaciem ex caveis Dominorum ſuorum ſubterraneis expetitam ad pectus, frontem, tempora, carpum, quo loco pulſum exploramus, adplicant, ligantque; fruſtulum glaciei ore accipiunt, deglutiuntque; aut aquam glacie perfrigeratam potant. Sunt, qui lodices aqua hac glaciali madefaciant, hisque ſe totos involvant, & aëri nocturno, perflanti ſeſe exponant.

Tertio aut cura chirurgorum adhibetur, rarius quidem ob dictam rationem. Conſiſtit autem hæc cura in hoc: Plerumque ſemel faciunt venæ ſectionem, ſæpius non. Dant emeticum. Dein decoctum radicis ſerpentariæ virginianæ. Prohibent expoſitionem corporis aëri, ſed arcte concludunt ægros & ſtragulis obruunt ad exprimendos ſudores, & provocanda tali modo exanthemata.

6) Deductiones. *Primo.* Febris hunga-

C rica

rica alia non eſt, quam febris acuta, quæ ubicunque locorum datur, ſed quam perverſa medela exaſperat, & lethales facit. Sic in *media Germania febris hungarica* haberi poteſt, & revera ſubinde habetur.

Secundo. Male concludunt de bonitate methodi ſuæ Hungari ex eo, quod hac adhibita tamen *multi* ſanentur. Nam plures moriuntur; ſecundo ſanatio imperfecta, tardaque ſequitur.

Hunc errorem committunt etiam multi in civitatibus, etiam in magnis urbibus Practici. Ut de bonitate alicujus aut methodi aut medicamenti certi quid concludamus, oportet inire rationem inter *ſanatos* & *mortuos hac* methodo, & inter *ſanatos* & *mortuos illa* methodo. Item debent ſumi *æque graves*, quantum ſaltem ex æſtimatione ſcimus. Et debet attendi ad *modum*, & *temporis moram*, qua per *hanc* vel *illam* methodum ſanitas ſequitur. Hoc autem non fiet, niſi medici *ſincere* & *amice* inter ſeſe conferant. Sic etiam ſæpe mundus decipitur cum ingenti damno, quod ſanatorum hac medela, hacque methodo numerus ſcribatur, reticeatur vero numerus non ſanatorum. Hinc ſemper numerus *ſanatorum* & *non ſanatorum* deberet prodi. Chirurgi, qui

qui tantam ſibi vendicavere licentiam, ut medicus ſaniora ſuadens ne quidem toleretur, & qui non omni modo artis medicæ ſcientia, ſed ſæpiſſime etiam neceſſaria chirurgiæ cognitione deſtituti ſunt, ſequentes emetici ſui rationes dant, quas quidem inexpertæ huic medicantium plebi condonare poſſemus; ſed cum a practicis ſæpe magnarum urbium eædem dari ſoleant rationes, eandemque quoad ſubſtantiam curandi rationem adhibeant, & curam vomitorio propinato auſpicentur, id mihi in præſentiarum negotii ſumſi, inania eorum argumenta diluere.

1) Conatus vomendi, vomituritioque nil probant, cum ab inflammatorio ſtimulo in pleuritide, enteritide &c. ambigua hæc ſaburræ ſymptomata ſæpe obſerventur.

2) Venæ ſectionis *neceſſitas. Tempus. Numerus. Indicatio venæ ſectionis & ſigna neceſſitatis.* Debilitas duplex, ejusque discrimen, & unde dignoſcenda altera ab altera. Neceſſitas hujus cognitionis. Debilitas fictitia imponit medicis. Eſt in plethoricis, item in motu febrili; probatur exemplo *Sydenhami*, qui ſecta juveni vena febrim atrocem vidit, etſi ea jam antea adfuerit. Hinc habetur ratio, cur in malignisſimis mor-

bis debilitas pulſus, cur atrociſſima peſtis absque febri dicatur eſſe, etſi falſo? Cur illa chirurgi apud Sydenhamum cura per enormen venæ ſectionem præferri mereatur? cur minus tuta ſit *methodus ſudatoria*, cur illa methodus ſudatoria per ſudores expreſſos *vi ſtragulorum*, non autem *potu diluente* obtentos mala fuerit ſæpius? Cur methodus ſydenhamiana *tolerari* & quomodo *perfici* adhuc poſſit? Cur robuſtiſſimi homines peſte potiſſimum laborent, pereantque? Cur valetudinarii, debiles, languentes magis ſecuri a peſte ſint? Quæ methodus præſervatoria a peſte?

Morbi malignitas adeo non excuſat a venæ ſectione, ut eandem poſtulet etiam. Quid morbus malignus? Quomodo ratione ſymptomatum & curæ differt a non maligno? Exanthemata, mictusque cruentus non ſemper malignitatem denotant. Horum ſymptomatum in non malignis explicatio.

Pro venæ ſectione non facienda male *ſemper* & *unice* indicatio a pulſu per tactum explorato deſumitur, febris enim non eſt in ratione pulſus, ejusque frequentiæ.

Ruſtici plerumque venæ ſectionem omittunt, ſi dominus ipſorum, aut parochus, aut chirurgus illam ſuadeat.

No-

Nobiles multum boni exſpectant a venæ ſectione, ita ut mortem ferme certam exſpectent, ſi audierint primis diebus non fuiſſe ſectam venam. At *nunquam* bis fit, imo nulla amplius venæ ſectio fit, ſi quarta dies elapſa ſit, etſi ea prius facta non fuerit. Subinde, etſi petechias habeant. pauci tamen moriuntur, ſi modo ſemel venæ ſectio facta fuerit. Ut primum acute quis laborare incipit, *præcipue* ſi petechiæ jam incipiant adparere, vomitorium dant. Alvum relinquunt obſtructam in omni exanthemate, & nil damnoſius reputant quam clysma. Idem faciunt præcipue in variolis, ubi variolas ſperant optimas, ſi alvus pertinaciter obſtructa ſit. Dant tunc in primo & ſecundo ſtadio *infuſum croci* per modum theæ, item *myrrham rubram* & decoctum lentium, cui miram vim pellentem attribuunt. Nil damnoſius putant, quam balnea pedum. Curam puellæ tres circiter annos natæ in primo & ſecundo variolarum ſtadio habui, ubi variolæ tertio & quarto die apparere incœperunt, puella penitus apyretos erat, lecti, & cubiculi impatiens, cum optimo appetitu, copioſiſſime interim variolæ prodibant. Nihilominus matronæ, præcipue vero puellæ mater, lamentabant,

quod puella ita omnis expers caloris esset, pessimo, ut putabant, omine. Unicum quod vidi, & quod utiliter posset medicus imitari, est, quod soleant in quibusdam locis Hungariæ infantibus capillos abscindere statim in primo aut ad initium secundi stadii, quam primum scilicet suspicio prudens variolarum adest. Novi dominam, quæ inter caniculares æstatis calores infantes variolantes cubiculo conclusit, stragulis obruebat, & succenso fortiter fornace torsit.

Vidi Dominam, quæ rusticis morbo acuto laborantibus argillam madidam ad carpos posuit & brassicæ muriam copiose illis potandam dedit. Siccatam argillam removebat, addebatque novam madidam. Sicque feliciter se multos curasse ait, facta tamen si fieri potuerit, venæ sectione.

VI.

D.

VIRO CLARISSIMO

WILHELMO GRANT

MAXIMILIANUS STOLL

S. P. D.

Ea lætitia me perfudit epiſtola tua, ut eidem explicandæ neutiquam par ſim.

Doleo egregium tuum de febribus tractatum hisce in terris ſerius innotuiſſe, & quibus innotuerat, mecum fuiſſe ob ignotum nobis idioma anglicum ab ejus lectione prohibitos. Per aliquot jam annos, cum methodos curandarum febrium diverſiſſimas, quin & oppoſitas contemplarer, audiremque diverſarum opinionum non ignobiles magiſtros; cum quacunque adhibita medendi ratione nihilominus viderem aut funera perquam multa, aut tardam poſt millenas cum morte luctas reconvaleſcentiam, neque hic, neque ille fortunatiorem ægris medicinam faceret, ſæpiſſime & artis noſtræ, & miſerorum quam maxime mortalium ſorti indolui. Trepidus ob id ipſum

accessi, & animum despondens ad artis nostræ usum, quam primum in Hungaria exercui, germana febrium popularium patria. Plurima animo passus sum, plurima etiam corpore, donec, rejectis, qui me seduxerant, aut saltem non instruxerant, autoribus, stabiles mihi tutosque medendi canones efformarem, quos assidua contemplatio febrium epidemice grassantium, sibique relictarum suppeditaverat. Etenim, cum & frequentissimæ eæ febres ibi sint, & ruri inter tenuissimæ sortis homines, aliis magnarum urbium luxusve morbis non commistæ, sed simplices, certo quot annis ordine enascantur, vigeant, emoriantur, nec remediis, utpote quibus maximam partem destituuntur, anomalæ factæ sint, quid faciat feratque Natura sui conservatrix, hominem perattentum effugere haud potuit.

Quanto gaudio perfundebar, cum mea observata felici coronari exitu, tuisque, alio sub sole collectis observationibus confirmari, provehi, restringi, rectificari videam! Rem facio, & muneri, quo defungor, consentaneam, & auditoribus meis, atque ipsis, quibus hi medicinam quondam facturi sunt, hominibus, perutilem, & quibusdam amicorum, qui faciliorem febribus medendi

me-

methodum optaverant diu, vix ſperaverant, quam maxime gratam, dum tuum de febribus librum, quem duce bono genio nuper quidam in idioma germanicum converterat, pro viribus etiam atque etiam commendem. Alium tuum librum ſebres malignas pertractantem, quem audio noſtro pariter donari idiomati, avidus exſpecto. Quod ſi quid adhuc ſcriptorum tuorum in Anglia ſit, fac quæſo, ut eorum brevi potiamur. Fors minori cum moleſtia tua Amſtelodamum ea mitteres ad ——— qui mittenda Viennam dirigeret.

Remedii contra cancrum laudati ſimplicitatem neutiquam contemno; didici enim nihil contemnere, quidquid rerum Natura facit, experiri omnia, atque optima retinere,

---

E.

De optima diſcendi docendique ſermonis græci ratione.

De expedita diſcendi, docendique ſermonis græci ratione præcipere quædam volui, ut quos amor hujus linguæ, atque eruditionis græcæ tenet, habeant, quo & minori jactura temporis, & minus operoſe poſſint his ſacris initiari.

Non hic deſertæ propemodum hujusce linguæ patrocinium ſuſcipiam, nec quantum inde utilitatis, & ornamenti, ac voluptatis erudito cuivis accedat, exponam. Id enim eſſet aut Herculem laudare, quem nemo unquam ſanus vituperaverat, aut præclare ab aliis actum denuo agere.

Comprehendi non niſi inſano labore poſſe, & regularum grammaticarum ſpinis horridam innumerabilibus diſcentium divexare ingenia; vocabulorum præterea immenſa & varietate, & multitudine, vagaque ſignificationum variarum gravi luxurie opprimere ſuos potius, quam inſtruere, atque oblectare ſolere, ea ſerme graviſſima & ad ſpeciem

veri

veri quam maxime adornata plerorumque est accusatio.

Linguam græcam ab ubertate omnigena commendari potius debere, quam accusari existimo, spinosos vero grammatices recessus aut nullos, nisi in mali præceptoris ingenio dari, aut eosdem, si qui reapse fuerint, vitari tuto, & certo posse contendo.

Novi quosdam, qui etiam hæc obstacula superarint, atque improbo labore, malis utpote magistris usi, immensam præceptionum scholasticarum farraginem devorarint, concoxerintque; verum, cum stomachus perpaucis tantopere valeat, ut hac cruda præceptorum, atque indigesta mole non offendatur, cumque hæc brevis ætas, quam vivere concessum est, in hoc rerum discendarum oceano, temporis, laborumque exquirere compendia debeat, operam meam non infeliciter me collocasse arbitrabar, si quædam de discenda docendaque lingua græca experientia duce præcepero. Atque ob hanc anfractuosam discendi, docendique idiomatis græci rationem potissimum evenire videtur, ut præceptores ejusdem ex more potius ab antiquis accepto in celebrioribus athænæis constituantur, quam ut fructus inde in auditores redundet, qui plerumque

&

& pauci ſunt, & græca languidiſſime tractant, ſeque in hoc ſtudio fuiſſe egregie verſatos arbitrantur, ſi quosdam bibliorum verſiculos ope lexici noverint interpretari. Etſi & aliam derelictæ hujus diſciplinæ cauſſam probe ſciam, hominum videlicet, qui nunc ſunt, levitatem, ſcientiam curſim delibantium, & primis ſolum labris, eas præcipue, quibus adhæreſcere paulo diutius, atque immorari oportet, quæve aſpectu aliquantum horridulæ molles eorum animos, nulliusque ſeverioris diſciplinæ patientes offendunt.

Quam viam illum inſiſtere in addiſcenda lingua græca oporteat, qui eam & intra non multum tempus, & labore non plurimo voluerit aſſequi, nunc dicam.

Hanc vero diſcendi, docendique rationem uſu fuiſſe comprobatam multiplici teſtor.

Hæc mea præceptio nihil inauditi continebit, neque id intendo: in eo enim fere omnis oratio conſumetur, ut demonſtrem, quæ *omitti* potius in prima inſtitutione debeant, quam quæ *agi*.

A characterum, ſeu literarum græcarum cognitione legendique facultate initium faciam, quam vellem planam eſſe, & facilem, atque in conſuetudinem jam deductam,

pri-

priusquam ad grammatices præcepta accedas. Sic animus, non jam amplius ad ductus litterarum peregrinos, legendi enunciandique leges abductus, rebus ipsis liberius vacabit. Præstat iis, qui aliquando scientiis daturi nomen sunt, mature atque in pueritia adhucdum constitutis, postquam linguæ vernaculæ characteres dignoverint, aliarum quoque linguarum elementa, ac canones legendi tradere, Græcæ potissimum, Hebrææ, atque Arabicæ. Hoc etiam, qui sic erudiretur, emolumentum caperet, desiderium nempe ea etiam intelligendi, quæ hucusque didicerat solum enuntiare.

Quæ de vocalibus mutabilibus, immutabilibus, subjunctivis, præpositis &c., de diphtongis propriis, impropriis, de consonantibus tenuibus, mediis, labiorum, palati, dentium, liquidis, mutis &c. præcipi solent, ex prima institutione exulare prorsus debent.

Proscribenda quoque est tanquam omnis progressus inimica, accentuum doctrina: assuefieri tyro debet, usu, non regulis, ut græca ex norma pronunciationis latinæ proferat, eaque aut corripiat, aut producat, quæ a poëtis aut correpta, aut producta deprehenderit.

De

De enuntiatione quorundam elementorum id videtur, *Erasmianam* præſtare.

Id ſolum ſibi operam tyro det, ut paradygmata *regularia* memoriæ mandet, ad quorum normam reliqua ferme omnia inflecti ſolent, omiſſa declinatione quarta, videlicet Atticorum, omiſſo ubique duali numero.

Quæ caſum vocandi declinationis primæ, accuſandi quoque, & dandi declinationis quintæ, illum in numero ſingulari, hunc in plurali concernunt, itemque aliæ in declinando aberrationes, abeſſe a prima inſtitutione debent & ſerius multo, ac inter interpretandum, ubi occaſio tulerit, in tantum explicari, quantum præſens neceſſitas exegerit.

Contractorum declinationes, & verborum circumflexorum doctrina, diſcentium ingenia confundunt, hinc omittenda omnino erunt, resque omnis ad ſimplicium non contractorum leges per occaſionem, atque inter legendum revocanda,

Gradus comparationis ex ſua terminatione absque negotio dignoſci vel a diſcipulo poſſunt, etſi leges eosdem formandi ignoret.

He-

Heteroclitorum enarratio prætereunda eſt.

Sufficiet unius ſolum regularis verbi exemplar memoriæ commiſiſſe, regulas vero verborum inflexionem variam ſpectantes non una omnes explicare, ſed partitis vicibus, easque præmittere, quarum uſus frequentius recurrit, oportet.

Experientia conſtat, dialectorum notitiam in prima inſtitutione neceſſariam non eſſe, firmioribus primo quasdam, easque magis uſitatas, deinde plures dari regulas poſſe, quibus diverſæ dialecti ſolent ſubjacere.

Verba in $\mu\iota$ terminata differri in altiora inſtitutionis tempora debent, deinde vero ita doceri, ut & unde formentur, & quæ tempora habeant a communi lege recedentia, ſtrictim ſolummodo explicetur.

Etſi in interpretando ſubinde vocabulum occurrat, cujus ita conſtructi rationem reddere non poſſis, nihilominus ſi altera, vel & tertia vice idem iter relegeris, illa deinde ſevero carpes, quæ debebas initio præterire.

Verborum anomalorum varietas magna multum turbare tyrones ſolet, eorumque patientiam fatigare. Quæcunque enim anomala

mala ſunt, nulloque aperto nexu cohærent, nec conſtanti quadam, & immutabili ratione derivantur, ſed quaſi fortuitas ſubeunt mutationes, ea difficulter memoriæ comprehenduntur, & comprehenſa facillime ac cito effluunt.

Veruntamen auspicato accidit, quod anomala fere omnia revocare ad *defectiva* & eorundem tempora, modosque communi lege derivare a radicibus minus uſitatis, aut prorſus inuſitatis, ac imaginariis poſſis, ſic ut dicta exemplo illuſtrem, ερχομαι non habebit ηιδον in aoriſto ſecundo, ſed ερχομαι hoc aoriſto carebit, & ηιϑορ, ſeu ηιυϑορ ab ειευδω inuſitato, at juxta communes aoriſti ſecundi leges effingetur.

Hæc ipſa de verbis defectivis explicari, occaſione inter legendum oborta debent, atque id ſolum, quod in præſentiarum occurrit.

Prodeſt habere abacum verborum *defectivorum*, uti etiam quorundam *irregularium verborum in μι*.

Explicatio a præceptore modo latine, modo lingua vernacula fiat, prout græca ad latinam, aut ad vernaculam propius acceſſerit. Deſumenda quoque exempla ſunt ex linguis tyroni notis, ut quantum idio-

ma

ma græcum harum linguarum leges ſequatur, aut ab iisdem recedat, facilius conſtet, ignotique ſermonis indoles e notioribus pateſcat.

Serius oſtendi modus poſſet, quo ſoleant a radice alia vocabula derivari. Id certe mirifice memoriam juvat ad comprehendendam integram, retinendamque vocabulorum familiam. Veruntamen id in tranſitu fieri oportet, atque ita, ut ſolum oſtendatur, quid *plerumque* fiat, non autem, ut leges, legumque explicationes condantur.

In non exiguo inſtitutionum grammaticarum numero illa mihi præ multis aliis probabatur, quæ in uſus ſcholaſticos Auſtriæ anno 1773 Viennæ idiomate vernaculo conſcripta e *Leopoldi Kaliwodæ* officina prodiit. Etſi leviculis, ſed absque negotio corrigendis erroribus, non penitus careat.

Is enim regularum ſelectus eſt, atque ordo, & perſpicuitas, eaque nihilominus libelli minuta moles, ut ſe omnibus, docere, ſeu diſcere velint, abunde commendet.

Sic & tyroni ſatisfiet, ſi, quæ ad primam inſtitutionem pertinere dicta ſunt, in margine libelli adpoſito ſigno notet, atque etiam exercitatiori, qui, quæ initio tranſilie-

lierat, nunc voluerit iterata lectione resumere.

Grammaticorum præcepta in unum collecta non damno, sed methodum solummodo illorum improbo, qui ea omnia ad amussim volunt a tyrone comprehendi, atque sic prompta discentium voluntate, ac ingenio abutuntur, priusquam illum ad ipsos auctores interpretandos admittant.

Alterum est, cui post hausta necessaria grammatices præcepta imprimis suam operam tyro locet, *vocabulorum* videlicet, quam *plurimorum*, quam *minimo* labore, quam *brevissimo tempore*, atque eo modo, quo retineri concepta vocabula *facillime & diutissime* possunt, collectio, quamve *verborum copiam* scholastici dicunt.

Huic rei R. P. Bonaventura *Giraudeau* apprime consuluit, cum omnes totius linguæ radices, seu voces illas primarias, a quibus ceteræ luculenta quadam ratione gignuntur, colligeret, collectasque ita disponeret, ut carmen oriretur hexametron non inconcinnum, quodve intra arctiores limites, quam in quocunque alio scriptore soleat, omnes linguæ divitias concludat. Sed & lexicon addidit, his solum primigeniis vocibus dicatum, ut ita amplissimum idioma

in

in exiguæ molis libello contentum, in nuce nempe iliadem, habeas.

Hanc radicum collectionem denuo recudendam curavi, eamque ſolam, ac miſſis reliquis, quæ idem auctor compluribus libellis complexus eſt, quæve aliunde & ex quavis ferme grammatica inſtitutione peti poſſunt.

Volueram enim libellum vel ipſis in Galliis, natali ſolo, rariorem, noſtris in manus dare, eumque ipſum, reſecta nempe grammatica præceptione contractiorem.

Idem conſilium vir quidam græce apprime doctus undecim abhinc annis *Ingolſtadii* exequebatur, qui & grammatices præcepta, & chreſtomathiam adjunxit, de præſtantia atque utilitate linguæ græcæ pauca, ſed nervoſe præfatus. Verum labor egregii viri plus ornamenti, decoriſque typographici meruiſſet; immundiſſima enim charta, & exiliſſimi atque informes characteres, iique exigua intercapedine diſtincti, & in anguſtiſſimum ſpatium compulſi legentium oculos offendunt, atque ob hanc ipſam rationem inſtitutioni primæ minus inſerviunt. Quæ enim minuta, ſordido, maleque legibili charactere expreſſa difficulter, & non niſi intenta viſus acie leguntur, ea multo diffici-

lius memoria difcentium excipiuntur, & excepta facillime denuo elabuntur.

Atque hujus rei, nempe majusculi, craffiorisque, atque nitidius efformati characteris græci minorem video rationem in plerisque Germaniæ editionibus haberi, quam pro ejusdem dignitate, quamve ipfe doctiffimorum Editorum labor, nemini facile exterorum inferior, mereretur.

Utinam germanorum non paucorum laboriofas, utiliffimasque editiones typographicus Anglorum nitor aliquando condecoraret.

SEC-

SECTIO I.

EPHEMERIDES

ANNI 1780.

JANUARIUS 1780.

Binos elapſi anni menſes ultimos & humidos excepit frigus ſiccum Januarii. Ultimi decedentis anni dies poſt diuturnum madorem fuere frigidiſſimi, ſicciſſimique, uti etiam hujus anni exordium.

Conſtitutio Januarii 1780.

1 — 5 frigidum, ſiccum. Subinde nives tenues, terra leviter, nec ubique nivibus tecta, usque ad 15tam menſis. Dein 16 — 18 minus frigidi & gelidi, nebulis pluentibus madidi. 22. glacies. 23. frigus ſiccum. 27. nives altæ ad finem usque.

Medio menſe multæ pleuritides, pravæ, indomabiles, inflammatoriæ. Linguæ tamen erant, & reliqua ſymptomata, uti in putridis; ſic etiam ſapor, urina. Facilis in phthiſin tranſitus. *Sola* emollientia & venæ ſectiones. Medicorum quærelæ de pleuritidum malignitate.

Pleuritides multæ.

Omnes morbi habuerunt aliquid pleuritici, aut ſubpleuritici. Emulſorum tepidorum uſus magnus.

Phthiſicorum complurium mortes auditæ ſunt, erantque, uti ex cadavere inſpecto patuit, pleuriticæ, peripneumonicæ.

Phthiſicorum mors frequens.

In plerisque morbis, aut vix, aut etiam non febrilibus, magna ubique intolerantia fuit remediorum vel levissime stimulantium; flores arnicæ ægrius ferebant, rarius multo indicabantur.

Morbilli. Morbilli inflammatorii; nulla eruptionis habita ratione sanguinem eduxi, ubi adparuit aut pleuriticum quid, aut subpleuriticum.

Curam confirmatoriam in iis, qui ex pleuritide convalescebant, effecit emollientium usus continuatus. Vel leviusculus in convalescentibus stimulus priorem morbum revocabat.

Hydrops & asthma inflammat. Hydropici, asthmatici plus minusve inflammationis hoc mense conceperunt; unde etiam his subinde parca manu sanguinem detraximus cum emolumento.

Anasarcam in homine juvene, robusto, pulsibus duris & vibratissimis prædito sanavi venæ sectione una, & longo usu decocti ex tota althæa cum pauco nitro; crustam pleuriticam sanguis eductus formavit.

Constitutionis inflammatoriæ imperium. Ægri prioribus mensibus ultimis humidisque apud nos decumbentes ex morbo non inflammatorio, nihilominus vim tempestatis siccæ & frigidæ experiebantur intra cubiculum, & morbus prior, præcipue si fue-

rat

rat febrilis, aliquid inflammationis pulmonicæ contraxit.

Phthisis cum chronica inflammatione pulmonum.

Pictorem secui ad Nr. 3. a tribus annis pectore oppressum, tussiculosum, & ingentem quotidie, noctu potissimum, puris materiem extussitantem. Hyeme pejus, æstate melius habuit, etsi nunquam a morbo liber. Mense Novembri anni 1779 ad nos venit, missus ab ipsius ordinario medico tanquam brevi moriturus ex phthisi consumata. Brachia extenuata; sputa puriformia & purulenta copiosa; pulsus fortis, plenus, & durus; febricula vespertina. Venæ sectiones aliquot, sed parcæ factæ sunt: sanguis semper pleuriticus. Emollientia tepida data sunt. Die 13. Januarii 1780, cum ab initio ejus mensis frigus siccum, & pleuritide crebra infame haberemus, nobis nondum id opinantibus, moritur. Pulmo uterque perquam ponderosus, & durus fuit, atque summopere inflammatus. Adhærebant pleuræ, præcipue in latere sinistro; in dextro, ubi etiam major & durior inflammatio fuit, aliquod erat interstitium cavum, uncias quinque aquæ flavescentis continens. Pulmo uterque antiquo, crassoque coriaceo sacco vasculoso obductus erat. Ejus coriaceæ materiæ hinc inde portiones reperiebantur in ip-

ſa pulmonum ſubſtantia, ſero nempe phlogiſtico non transſudante in cavum thoracis, ſed forte intra celluloſam pulmonum, vel cellulas bronchiales. Pulmo dexter hinc inde exiguos abſceſſulos continuit, puris, cum viveret, ſcaturigines. In ſuprema utriusque pulmonis parte vidimus hinc inde calcareum quid, & lapidoſum.

En phthiſin diuturnam cum chronica pulmonum inflammatione! Hanc enim dudum adfuiſſe ægri ſymptomata diuturna teſtabantur. Periit, cum apud nos bene habere, & ſibi & nobis videretur, & febricula exigua.

Confer hanc phthiſin inflammatorio-purulentam cum pleriſque *methodis antiphthiſicis*, & videbis, quam vana, quam potius nociva ſint omnia ſic dicta *antihectica*.

Partes pulmonum ſupremas vidi frequentius & periculoſius, & diutius inflammatas in peripneumoniis, & pleuriticis, & phthiſicis; in his quoque frequentius ſacci purulenti clauſique reperiuntur, quam in mediis, vel infimis pulmonum portionibus.

Hydrothorax.

Hominem hydrothorace ferme ſuffocatum conſervavi exemtione e lecto continua, & ſeſſione aſſidua, pendulis cruribus.

Plu-

Sequelæ febris inflammatorio-putridæ, male curatæ.

Plurimi ex febre continua hujus menſis in phthiſin delapſi ſunt immedicabilem; non illi quidem meæ curæ comiſſi, ſed quos quidam alii curandos ſuſceperunt. Hæc febris erat inflammatorio-putrida, aut putrido-inflammatoria, ſæpe peripneumonica ſimul. Inflammatio non ſemper *aperta* fuit, & poterat prætervideri a minus experto. Hinc evenerat, ut neglecta phlogoſi latente & complicata, quam nempe non viderant, ad amatas methodos confugerant, antiſepticam nempe, ſtimulantem, corticem, camphoram, veſicantia &c. Mors fieri debebat peripneumonica, aut pulmonalis phthiſis. Hinc illæ ægrorum lachrymæ, & medicorum quærelæ.

Pleuroperipneumonia lethalis.

Scriniarius 20 & aliquot annos natus periit initio diei decimæ quartæ morbi pleuroperipneumonici. Curſu tempore frigido & ſicco plurimum incaluit. Eo die tuſſire, inhorreſcere, thorace opprimi, & dolere ad coſtas ſpurias dextras cepit dolore punctorio. Quater vena ſecta eſt ſuæ domi abſque levamine; ceterum nihil adhibuit. Die morbi octavo ad nos venit pulſu pleno, duro, vibrante, latere dextro dolente, noctu ſubdelirans. Vena aliquoties ſecta non levabatur. Reſpirabat ægre, abdomen inter

in-

inſpirandum elevabat, dein tarde etiam thoracem, & ſiniſtrum quidem altius & citius. In pericardio ſeri flaveſcentis unciæ quinque inventæ ſunt. Pulmo dexter ponderoſiſſimus, ingens, durus, inflammatiſſimus per omnem ſubſtantiam, & ſectus exhibuit ſubſtantiam cineream ferme. Perparum aquæ in dextro thoracis cavo, nihil vero in ſiniſtro. Pulmo ſiniſter ſanus per omnia.

Poſt medium menſem pleuritides & peripneumoniæ plures.

Febris noſocomialis in caſtra Epidemici tranſit.

Non pauci, qui morbis non febrilibus, longisque affecti, in noſocomio a diuturno jam tempore fuerant, poſt medium Januarium febrire cœperunt absque manifeſta cauſſa. Febrim initio noſocomialem ſeu putridam ab aere noſocomiali ortam (quem quidem ſollicite modis variis, frequenterque luſtramus, nihilominus omnino innocuum facere non poſſumus) arbitramur. Verum conſtitit inflammatoriam eſſe, cum aut ſine topica inflammatione. Inde noſocomiales febres relegabamus ad epidemicam ejus anni conſtitutioni præſidentem, neque eam ſemper putridam poſthac appellabamus, ſed non raro quoque bilioſam, aliquoties pituitoſam, & ſubinde inflammatoriam; licet verum ſit, hanc *ultimam* febrium ſpeciem in noſocomiis

miis oriri multo rarius, *primam* atque *secundam* plerumque.

FEBRUARIUS.

Constitutio Februarii.

1—8 Terra nivibus contecta; nebulæ passim; non valde frigidum.

Die 8va nivibus deliquium instabat, usque ad 15., ubi frigus, venti, nives novæ.

17. Perfrigerium siccum. 18. Idem serenum, valde frigidum.

22. Copiosissimæ nives deciderunt tota die.

27. & 28. defluere aliquantum delapsæ nuper nives cœperunt.

29. Mollis tempestas.

Febres inflammatoriæ sub schemate febris putridæ.

Omnes febres hujus mensis habitu externo & larva differebant, cum quædam viderentur putridæ, lentæ, nervosæque; aliæ vero notas exhiberent sinceræ, & evidentis inflammationis.

Re tamen ipsa etiam illæ, quæ putridarum habitum præseferebant, erant vere inflammatoriæ, & sola antiphlogistica methodo, eaque generosiore, sanandæ. Cautum oportebat esse medicum, ne has apparenter solum putridas methodo antisepticæ, stimulanti subjiceret.

Qui-

Morbi intercurrentes.

Quicunque alii morbi intercurrerunt, magni, parvi, longi, acuti &c. in dominantem phlogofin inclinabantur. Frigidiffimus fubinde hydrops hac tempeftate inflammabatur. Tanti intereft in cura morborum ferme quorumcunque, vim conftitutionis regnantis noffe, & ab ea ipfa probe cognita partem curationis difcere, hercle non infimam omnium propemodum ægritudinum aliarum.

Phthificos curare oportuit tanquam vere & valde peripneumonicos, aut pleuriticos.

Omnes quoque hujus tempeftatis febres initio, aut in progreffu, aut circa finem, plus minusve fuere peripneumonicæ, pleuriticæ.

Florum arnicæ peffimi effectus.

Prout febres plus de inflammationis natura participant, ita flores arnicæ minus ferunt.

Qnidam unciam florum arnicæ curavit infundi cum modica coctione, deditque omni bihorio vasculum coffeanum puellæ octo annorum. Inde aphonos facta, mentis impos, & convulfa jacuit multis horis, donec extracto hyofcyami affumpto mens rediret.

Hyeme media hujus anni difficulter ferebant flores arnicæ.

Quar-

Quartanas non oportet urgere nimium, ne in remittentes, aut in continuas convertantur; quod etiam hoc menſe ſemel contigit. Moriuntur enim perſæpe.

Cautela in cura quart.

Icteros ſolventibus potentioribus pariter non prodeſt aggredi: horum hoc menſe complures habuimus. Icteri potentius tentati inflammantur, peſſima inflammatione.

Perdiſce ingenium conſtitutionis regnantis, utpote quæ cuivis alteri morbo, ceteroquin ſporadico, ſive acuto, ſeu longo, jura dare ſolet.

Febrium epidemicarum ſtudium.

Qui ad conſtitutiones anni attentus non eſt, nullam nec in acutis, neque in chronicis morbis fidum ducem habebit.

Oportet noſſe conſuetas morborum durationes, ne forte aut languidius remedium, & imbellius opponamus, aut ne vice verſa, longum morbum potentius & properantius incurſemus, quam morbus & æger ferant. Gravis regula, contra quam peccavi in ſanando ictero, & quartana. Feſtina lente, & aliquid naturæ committe, & illi confide, ſi tempus adjuvet.

Non plus mederi, quam quantum vides medendum eſſe!

Conſtitutione phlogiſtica time, ne frigidus ceteroquin hydrops inflammetur; alia

enim

enim eſt hydropis medela hyeme boreali, alia æſtate.

Uſus externus plumbatorum ſuſpectus.

Operarius quidam calido lixivio perfuſus amburebatur. Chirurgi totum fere corpus unguento albo illinebant. Æger ſubinde tetanum maxillæ temporarium, & per vices accedentem pati cepit; item tormina, aliaque ſymptomata, qualia aſſumpto alias plumbo oriri vidi. Hinc uſus externus *copioſus* plumbatorum remediorum non videtur innoxius.

Eryſipelas faciei & parotis in morbo acuto.

Die 24. Februarii famulus quidam 37 annorum in noſocomium deportatur. Per ſex annos ferme ſemper hæmorrhoides modice fluentes habet. At vero ab aliquot ſeptimanis hic fluxus ceſſabat; vinum largiter quotidie haurit. Facies eryſipelatoſa, utriusque parotis eryſipelatoſa; febris aliqua, pulſus vibrans. Venæ ſectio: cruſta magna. Delirium noctu & altera die. Iterum die 25. Februarii venæ ſectio; ſanguis idem; delirium ferox, febris, tumores iidem. Veſperi venæ ſectio unciarum XIV. Die 26. noctem præteritam inter furores exegit; pulſus vibrans, calor minor; delirium adhuc aſſiduum, ſed jam non furioſum. Cruſta ſemper pleuritica coloris vireſcentis. Scarificatio nuchæ: minor tumor parotidum;

minus

minus eryſipelas faciei; mens redit. Alvus crebro enemate ſollicitata eſt. Die 27. noctem præteritam inter placidos ſomnos egit. Hodie mens plane conſtat; vix febricula, vix veſtigium eryſipelatis. Nulla parotis. Urinæ jumentoſæ, ſemihypoſtaticæ, ſedimento furfuraceo, lateritio. Decoctum graminis cum oxymelle & nitro. Die 28. vix levis febricula; lateritium in urinis ſedimentum. Inde cepit convaleſcere.

In eryſipelate faciei inflammatorio, præſente magna cephalalgia, aut etiam delirio vidi inſtantanee profuiſſe ſcarificationes nuchæ. Cum ſciam parotides ſæpe eſſe funeſtas, curabo poſthac ſemper ſcarificationem nuchæ, & *fortaſſe* ipſius parotidis.

Icteri inflammatorii.

Icteros frequentes tota hyeme, hoc præcipue menſe, habuimus. Non poterant, niſi blande ſolventibus tentari, gramine, taraxaco &c. ſale medio; ſecus enim inflammatorius morbus acceſſit.

Scorbutus cum labe phlogiſtica.

Hoc menſe labes ſcorbutica, rheuma ſcorbuticum frequens adhuc. Vidi complures eroſis valde gingivis, febricula errabunda, ingenti & animi & corporis dejectione; verumtamen appetitu non penitus proſtrato, quin ſufficienter vigente interdum; ſcabie crurum, achoribus, reſpiratione per

intervalla tantum, & repente difficillima laborantes juvenes in quodam adolefcentium nobilium conventu. Genuum maximus languor & imbecillitas, tendinum ad genua contractione, & inde difficili inceffu. Artus alicujus inferioris aut utriusque contracti rigiditas, immobilitas, atrophia & extenuatio, rheuma illius artus pertinax, vefpertinum & nocturnum, fubinde vagum & oberrans. Artus inferi crebrius, & præ fuperis male affecti, & conftantius erat hoc fymptoma. Frequentius pectus quoque, & hoc ferme femper oppreffione vaga, vefpertina, & nocturna maxime, fubinde repentina, & veluti fpasmodica affectione. Spiratio difficilis quoque per vices in inceffu. Raro erat fœtens anima. Sæpius gingiva anterior inferiotis maxillæ abfumpta, cinerea, cinereis & nudis radicibus dentium. Nigredo dentium pone radices. Os fanguinolentum perpaucis. Peculiaris laffitudo, etiam quietis. Febris vaga, nulla, aliqua, vefpertina; fubinde per aliquot dies rediit per modum quotidianæ intermittentis, aut remittentis. Pulfus pleni fatis, non duri. Facies non paucis pulchre colorata; fubinde tamen terrei coloris cum labiorum livore, item livore hypopiorum. Phlyctenæ qui-

quibusdam per dorſum, & fœdus cutis atro-rubeſcens color. Tuſſicula nocturna, & ſalſa ſputa; quibusdam tamen gingivæ erant tumidulæ; tumores crurum, brachiorum, & abdominis hydropici.

Conſtantiora ſymptomata erant 1) circa thoracem. 2) circa gingivas. 3) circa artus inferiores.

Abdomen tumidulum, tenſum; in quibusdam debebat ſubinde vena ſecari; peripneumonicum, pleuriticum quid acceſſit; & erat vel in ſcorbutico corpore cruſta pleuritica.

MARTIUS.

Conſtitutio Martii.

1 — 3. Lutoſum, molle. 4 — 6. idem: nives nullæ in plano, aut perpaucæ.

7. Ventoſiſſimum. 9 — 11. amœnum, ſol; tepor. 16. Perſtant calores meridiani, ſolesque.

17 — 18. Cœlum ſubinde nubiloſum, & paulo frigidius.

19. Ventoſum, immite, frigidum; donec ultimo menſis die calor repente oriretur, ſolum ephemerus.

Inflammationes rheumaticæ plures, maxime thoracis.

Inflammatio rheumetica in ſuppuratio-nem abeuns.

Inflammatio rheumatica pulmonis ſubinde abit in ſuppurationem: pus tenue *ductilius* album. Hæc phthiſica diſpoſitio petit venæ ſectionem, emollientia tepida; & tandem jungi debet lichen.

Rheumatica ſuppuratio pulmonum videtur minus periculoſa eſſe, quam ſuppuratio facta poſt veram inflammationem. Hinc tales ſuppurati ſæpius hac methodo ſanantur.

Febres quædam inflammatorio - putridæ, longæ, difficiles, non urgendæ ſtimulis; ſubinde quidem ne levioribus.

Dyſenteriæ vernæ.

Hinc inde hoc menſe dyſenteriæ comparuerunt, venæ ſectione una, emollientibus ad abdomen applicatis, & emulſo tepido frequenter hauſto feliciter cohibitæ. Cruſtæ pleuriticæ in ſanguine dyſentericorum. Vidi catarrhum difficilem cum coryza ſubito ceſſaſſe oborta dyſenteria.

Poſt medium menſis rheumata innumera, tuſſes, coryzæ peſſimæ in omni ſexu & ætate; tepidis, emollientibus, ſæpe etiam venæ ſectione indigebant.

APRILIS.

Conſtitutio Aprilis,

Initium Aprilis immite, ventoſum, ſæpe pluvioſum, frigidum.

In

In progreſſu venti, frigus manſerunt, ſed absque pluviis.

Dies penultimus ſerenus, amœnus.

Toto menſe dominabatur præter modum primo humidum, dein ſiccum.

Pleuritides non paucæ, graviſſimæ, largis, & celeriter ſeſe excipientibus venæ ſectionibus vix domandæ. Vomuerunt initio pleuritidis ſub horrore valido, qui morbum inchoabat, ſponte multa bilioſa. Os omnibus amarum, immundum, & ſigna illuviei gaſtricæ multa: tamen non poteramus evacuare *ανα* aut *κατω* ob inflammationis thoracicæ magnitudinem. Sponte & diluendo, & alvum clyſteribus ducendo ſaburra enervabatur.

Pleuritides.

Poſt medium menſem plurimæ pleuritides, peripneumoniæ. Quædam rheumata inflammatoria artuum. Paucæ colicæ rheumatico-inflammatoriæ; dyſenteriæ inflammatoriæ aliquot; molimina hæmorrhoidum.

Venæ ſectionum neceſſitas magna, largarum, repetitarum. Cruſtæ craſſiſſimæ, flavæ. Fotus emollientes, tepidi mirum profuerunt, ad loca dolentia adplicati. Nunquam tot, ac tantas debui phlebotomias inſtituere, ac poſt hujus menſis medium,

Chorea S. Viti.

Puella feptennis chorea fancti Viti laborabat, & dolore rheumatico artuum. Data funt purgantia. Dein flores zinci, valeriana, electricitas; nil profectum. Decoctum corticis peruviani morbum fanavit.

Puerpera febre acuta prehenfa.

Fœmina juvenis in octavum menfem gemellis gravida, & a tribus jam menfibus, cum antea fuerat robufta & faniffima, incepit tumere pedibus, cruribus, femore, artubus fuperioribus, tumore intercute, aquofo. Poft menfis octavi initium repentino & facili partu vefperi excludit. Omnia bene. Dormit ea nocte. Mane circa auroram evigilat delirans, fubinde furiofa; fit dein foporofa, aphonos. Pulfus duri, tardi. Secta vena eft iterato; data clysmata, & hauftus falini. Rediit ad fe poft duos dies. Sed non potuit omnia profari, aut omnia vocabula pronuntiare. Mens conftat, fed tamen levis adeft fatuitas. Tumor hydropicus omnis disparuit. Tandem nova venæ fectione ob pulfum pleniorem, & decocto tamarindinato mens firmabatur non diu poft. Arbitrabar aquas repentino partu celeriter fuiffe reforptas, atque in communem humorem maffam reductas, inde plethoram, & ftafim in encephalo.

Puella 18 annorum, poſtquam per quinque dies dolorem colicum eſſet conqueſta, levem tamen, ad nos venit ſana; pinguis antea; attamen a quatuor menſibus nulla habuit catamenia. Foris venæ ſectio & emeticum: non levabatur. Incepit delirare, & apud nos mox delirabat, ſæpe aphonos & ſoporoſa; oculis albam portionem exhibentibus; brachia & manus ſubinde livebant mirum in modum. Grunitus. Nulla febris, nec quoad pulſum, nec quoad colorem corporis, niſi ſemel unico mane. Alvus pertinaciter clauſa, rara. Urinæ ſuppreſſæ ſæpius. Potus oleoſi, emollientes, enemata; purgans ſalinum. Emeticum: excuſſit ore & alvo lumbricos, absque levamine. Subinde per momenta aliqua mens rediit. Dolorem colicum queſta eſt in infimo ventre. Lumbricos credidimus inteſtina effringentes; petroleo inunctum abdomen eſt. Poſt aliquot dies mortua. Toroſum, pingue corpus. Nulli lumbrici; ſed inteſtina omnia, præſertim tenuia, inflammata erant per totum.

Enteritis.

MAJUS.

Initium calidum, ſiccum. Die 11. & 12. ingens æſtus.

Conſtitutio Maji.

13. Ventus; frigidiusculum. 16. pluviæ. 17 — 18. frigus. 19. idem: pluviæ multæ, uti & die 20. ſimulque frigus ventoſum.

Univerſim: ab initio ad 13. usque calor & ſiccitas; eo die autem frigus incepit, fere per totum menſem perſtans, humidum atque pluvioſum, cum ventoſa intemperie.

Rheumata & pleuritides.

Rheumata multa, inflammatoria, difficilia; maxime autem pleuritides, peripneumoniæ, largis venæ ſectionibus ſanandæ.

Pleuritides aliquot vidi *pernicioſas* cum pulſu molli.

Nunquam tantum ſanguinis extraxi, quantum hoc menſe. Pleuroperipneumonia longe lateque graſſabarur.

Veſicantis ad plagam pleuriticam adplicati nulla utilitas fuit; magna vero cataplasmatis emollientis ad totum thoracem.

Vix ullus emeticorum uſus erat, etſi & lingua ſordeſceret, & de amarore oris ægri paſſim querelas moverent. Erat enim vitium bilioſum ſecundarium ſolumodo, & quod corrigi, dilui, enervari poterat. Omnem vero attentionem merebatur inflammatio. Signa ſaburræ & plura, & evidentiora tamen hoc menſe decipiebant; & minus

certe

certe ſordium biloſarum ſubfuit, quam pro ſignorum ratione.

JUNIUS.

Ab initio calores magni, & ventorum plena quies.

Conſtitutio Junii.

Die vero ſeptima, cum nocte præcedente plueret, cœlum obſcurius fuit, & aer grate frigidiusculus.

8. Noctu & interdiu pluviæ multæ, frigus. 13—16. frigus plerumque pluvioſum. 18. frigidiusculum, ſerenum. 19. calor vento temperatus.

22. Nubes, obſcurum. Pluviæ multæ. Inde venti rudiores, mane præcipue & veſperi, cœlo ſubinde obſcurato.

Die 27. & 28. pluviæ crebræ, venti, & frigus magnum.

Pleuroperipneumoniæ frequentia, & curatio eadem, quæ menſe priori.

Quibusdam caput phrenitide inflammatoria deuteropathica, & pleuroperipneumonia ſuperveniente tentatum. Profuit copioſa, & frequens venæ ſectio, cum ſcarificatione cruenta nuchæ, hirudinibus ad tempora poſitis.

Phrenitis deuteropathica.

Binæ puellæ, cum ex febre continua putrido - inflammatoria decumberent, repente aphonæ & apoplecticæ periere.

Morbi fere omnes quoad materiam morbificam fuerunt rheumatico - inflammatorii, cum aliquo vitio biliofo.

Varia fuit ejusdem morbificæ materiæ fedes. Plerumque tamen pectus occupabat, ut pleuroperipneumoniam rheumatico - inflammatoriam referret, aut febrim catarrhalem fubinflammatoriam.

Inflammationes pectoris & inteftinorum.

Quibusdam vero altius materies defcendit, ad inteftina nempe, ubi aut colici dolores, aut dyfenteriæ, aut diarrhææ leviter torminofæ vifæ funt. Pleuropneumoniæ vero fuperius defcriptæ fuerunt frequentiffimæ.

Quibusdam aliis, pauciffimis vero, articuli infeftabantur.

Ergo theatrum belli intra thoracem fuit. Excurfio vero facta eft ad alias quoque plagas, abdomen maxime; dein etiam ad oculos. Pauciffimæ anginæ, perpaucæ ophthalmiæ rheumaticæ.

Exitus varii fuere: multis venæ fectionibus, & potu tepido emolliente, hi pectoris morbi cefferunt; fotu quoque ad totum thoracem admoto.

Diu-

Diutius durarunt hi morbi, & eo erant diuturniores, quo leviores, minusque acuti.

Subinde per varias plagas materies errabat; nonnunquam artus repente deseruit, & abdomen occupavit ortis colicis doloribus, aut diarrhæa, aut dysenteria, aut victu stranguriofo, aut hæmoptoe, aut fluxu sanguinis ex utero, parco quidem, sed diuturno, tunc præcipue, ubi uterus antea gravidus erat, & recenter a partu adhucdum debilis.

Remedia moventia, antimonialia, raro, & non nisi profligata dudum febre profuerunt.

Nec vesicantia profuerunt, febre sive absente, sive præsente.

Tempestati huic & diathesi rheumatico-inflammatoriæ medelam exspecto aere calidiore & sicco; aer enim hucusque frigidior, asper, humidus, cutis spiracula occlusit, prohibuit crisin, & evacuationem cutaneam.

Colicæ pictonum frequentissimæ, non tamen periculosæ. Sanabantur opio, & evacuationibus alternatim.

Colica pictonum.

Congestiones sanguineæ in abdomine, & colicæ rheumatico-inflammatoriæ multæ.

Ab-

Aborrus.

Abortus frequens, & colicæ diuturnæ, ſanguineæ, inflammatoriæ poſt abortum ac partum, cum pauca febre.

Ultimo triente menſis rheumata minus inflammatoria, plus ſeroſa, eccoproticis, purgante ſalino ſananda. Mixtura ex aqua, roob ſambuci parata, adjecto grano uno, ſubinde & altero tartari emetici.

Tetani.

Circa eadem ultima menſis tempora quibusdam tetani maxillæ rheumatici, item artuum quoque per vices rigiditates, vel tetani acceſſerunt. Purgans præmiſſa venæ ſectione profuit; ſambucus, ſtibium, ſulphur auratum, veſicantia in tetano nocuerunt.

Decima quarta Junii inoculatio finita eſt, quarta videlicet ſeptimana nondum elapſa, ex quo erat incepta.

Toti huic conſtitutioni nomen poſſit tribui *conſtitutionis rheumaticæ.*

JULIUS.

Conſtitutio Julii.

Circa tertiam ventus, pluviæ, frigus. 4 — 6. ſerenum, calidum.

Die 28. frigidum, obſcurum, valde ventoſum.

Colicæ rheumaticæ.

Major hujus menſis initio torminum, colicique doloris frequentia, maxime inter

fœ-

fœminas. Dolor ſævus, aſſiduus, noctu gravior, per omne abdomen diffuſus, attactum ne minimum ſerens, febre vix ulla, tenuique. Quidam ante complures ſeptimanas dolore hoc correpti nondum ſanati ſunt; tanta eſt doloris hujus pertinacia. Alvus plerisque hac colica affectis ordinata fuit, quibusdam tardior, uni dyſenteria, attamen non diu; brevi enim dyſenteria ſponte evanuit, manſitque abdominis cruciatus. Quibusdam una artus etiam infimi doluerunt, quaſi ex rheumate. Aliis modo ischias fuit, modo colica, modo femorum rheuma; ita vagum fuit, verum non diu. Loca reliqua ſolum initio inviſebat, mox ſeſe ad abdomen recepit dolor, ibique ſedem ſtabilem fixit.

Colica hæc erat nobis rheumatica, nata nempe a materia rheumatia, nonnunquam ſubinflammante, inflammante.

Cruſtam in emiſſo ſanguine ſæpius videbamus tunc, attamen non ſemper, eamque tenuem, ſublividam. Sanguis tamen ſemper conſiſtentior ſolito fuit, vix ſcindendus, & ſero vireſcenti innatabat. Non erant primæ viæ a ſaburra penitus liberæ; non tamen ita obſeſſæ, ut quid emolumenti acciperes ab earum expurgatione. Venæ ſectio profuit, ſed modice, & tarde, & frequen-

qnenter repetita. Profuerunt quoque fotus emollientes affidui, æque modice, & æque tarde; tunc vero non profuit evacuatio vomitu aut catharfi facta: nec vesicans abdomini impofitum.

Non erat periculum præceps. Sed a morbo longo vires frangebantur, dejecta ventriculi & inteftinorum vis eft, abdomen & crura aquofo tumore intumuerunt.

Augurabamur inde dyfenterias mali moris futuras, hasque colicas habebamus tanquam prodomos dyfenteriarum.

Dolores tumoresque manuum, genuum, aliarumque partium videbamus frequentes, & æque pertinaces.

Chorea S. Viti.

Chorea S. Viti quasdam fœminas aggreffa eft hac eadem tempeftate, diuturna æque ac difficilis fanatu. Puella novem annorum Domini Confiliarii de K**, cum a quarto ætatis anno frequenti rheumate, & valde dolorifico vexaretur, & cum poft variolas hoc vere feliciter inoculatas paucas bonasque, denuo recurfaret hoc rheuma antiquum & grave, incidit in graviffimam fancti Viti choream. Puella alia fana 20 annorum, robuftaque in brachio finiftro incepit ita moveri, ut in chorea S. Viti folet.

Pa-

Paralyſes brachiorum repentinæ per noctem in juvenibus & robuſtis. Dolor ſimul adfuit rheumaticus. Tetani maxillæ; itemque totius ſimul corporis & in meo noſocomio, & in aliis hoc & priori menſe viſi ſunt, quemadmodum jam ad primum menſem notavi. Brachii, vel manus alterius ſyderatio ac veluti paralyſis obſervata eſt.

Paralyſes.

Femoris, crurisque immobilis rigiditas tetanodes & dolorifica occurrebat.

Plurimæ colicæ pictonum, & de die in diem ſæviores fuerunt. Quidam hac colica laborantes opisthotonum, alius inſultus epilepticos, alius deliria experiebatur. Venæ ſectio una, ſubin & altera facta eſt, ut innoxius ferant convulſionem, & ſtaſis in encephalo præcaveatur; tunc vero opium, cataplasmata emollientia, enemata; tandem purgans ſalinum, ſubjecto opio.

Colicæ pictonum.

Quidam, qui olim ex colica ſaturnina decubuere, paſſi ſunt quædam ejus colicæ ſymptomata, ii nempe, quibus character perpeſſæ olim ſæpius ſaturninæ colicæ deleri penitus non potuit: nam manet quibusdam pulſus ſaturninus, & alvi ſegnities, & incommoda ventriculi. Hos absque nova cauſſa prior morbus reviſit.

Nun-

Convulsio frequens.

Nunquam tot ægros vidi convulſos, ac iſto menſe. Quidam convellebantur tempore febris acutæ ; quidam data levi occaſione, ira, terrore &c. De tetanis & S. Viti chorea ſupra dixi hoc tempore frequentioribus. Certe anni conſtitutio talis fuit.

Peripneumoniæ, pleuritides, hæmoptoes inflammatoriæ non paucæ, nec leves. Copioſæ debebant venæ ſectiones fieri. Item hepatitides hoc menſe plures.

Erat univerſim conſtitutio rheumatico-inflammatoria cum inſigni in morbos nervoſos proclivitate.

Febres putridæ.

Sub finem menſis febres quædam putridæ, ſed quæ initio morbi thoracem peripneumonice, utut non valide, aggreſſæ ſunt: poſt morbi vero initium, ſanguine emiſſo, oportuit ſaburram elicere; demum uti oportuit decocto florum arnicæ. Senſim, & ſine manifeſta criſi convaluerunt.

Sub finem quoque menſis ſaburræ hinc inde viſæ ſunt, raro tamen ſolæ.

Metuo, ne dyſenterias difficiles hic annus pariat, cum & colicæ tales ſint, & rheumatiſmi, quam maxime nempe rebelles, & diuturni.

Iſchiades.

Iſchiades longæ, difficillime curatu, multis in locis ſunt viſæ.

Co-

Colicæ rheumaticæ curatæ reliquerunt abdomen tumidum, tympaniticum. Tempus & frictio profuit.

AUGUSTUS.

Constitutio Augusti.

Tempestas sicca, moderate calida usque ad diem decimum; dein vero subinde modice pluviosa, subinde frigidiuscula.

Die 19. frigidiusculum tota die. 20. frigus; pluviæ assiduæ; dein interdiu serenum. Vesperi & mane frigidum.

Hoc anno *paucas* dysenterias futuras auguror, cum rheumata potius thoracem, caput, artus, hucusque præeligant; attamen, si quæ futuræ sint dysenteriæ; metuo, ne longæ sint, rebelles, & tandem in chronicum, tabificumque dysenteriodes alvi profluvium abeant, & sero tandem necent.

Hanc prognosin idcirco facio; quod videam rheumata pariter difficilia; longaque; qualia quidem thorax, & multo magis articuli diutius possunt; & minori cum noxa, perferre; non autem ita intestina; quæ utpote prima culina; reliquo corpori nutrimenta parant, atque transmittunt.

Dysenteriæ subinflammatoriæ.

Quoad diagnosin vero erunt, suntque jam; quas modo curo dysenteriæ, ejusdem

ptorſus indolis ac rheumatismi, nempe ſubinflammatoriæ, & inflammatoriæ, nempe in initio, & in progreſſu ſat diu. Facilis quoque recurſus eſt phlogoſeos jam ſimul absterſæ. Hinc tantæ ſunt utilitatis cataplasmata emollientia, & potus æque emollientes tepidique, cum ſanguinis miſſione. Nocent vero rhabarbarina, & myrobalani, utut eſſent, purgationes alvinæ.

Obſervatio conſtitutionum epidemicarum

Nota graviſſimam regulam, ſuo loco inſerendam: ſcilicet, quod anni conſtitutioni magis ſit fidendum in formandis indicationibus, quam fidendum ſit ipſis morbi ſymptomatibus. Sic e. g. priori & hoc menſe plerique talia ſymptomata habuerunt, qualia anno 1776 per æſtatem; attamen hoc anno in iisdem apparenter ſymptomatibus rarius profuit emeticum, quam illo anno: erant enim conſtitutiones differentes.

Dyſenteriæ

Poſt medium menſem complures tamen dyſenteriæ occurrebant, quædam inflammatoriæ, plures tamen, quin imo pleræque, ſubinflammatoriæ; vix ulla ſaburralis.

Hinc omnibus ferme venæ ſectio, ſubinde pluries repetita profuit. Cruſta ſubinde phlogiſtica. Sanguis ſemper compactus.

Emollientia quoque ſola, fors & intus applicata profuerunt.

Per-

Perpaucis, cessante hoc modo dysenteria, turgere rursum saburra cœpit. Tunc emesis, & vesperi paregoricum.

Non erant diuturnæ dysenteriæ sub hac methodo.

Uni hydrops ortus est, postquam usa esset domi suæ laudano, & adstringentibus; tamen est curata extracto lactucæ virosæ.

Eodem tempore artuum rheumata fuerunt observata, non pauca. Emollientia, & venæ sectio.

Item pleuritides, & peripneumoniæ hinc inde post medium mensem vere inflammatoriæ, linguis tamen per omnes hujus tempestatis morbos impurioribus.

Putridæ plures sub finem mensis; harum indoles hæc fuit: Primum stadium, licet inflammatorium, item topica simul vel hepatis, vel pulmonum inflammatio fuit. Declinante mense hepar sæpius laborabat, at venæ sectio sub mensis initium sæpius pulmo ægrotabat. Tandem saburrale stadium, ita tamen, ut omnis humorum massa *simul* fuerit eo vitio contaminata, quod febrim putridam originariam constituit.

Hepar subinde ita affectum non fuit, ut hepatitis vera, & icterus oriretur. Bis hic status letalis fuit. Extrahebantur hi mor-

bi putridi in aliquot triginta dies, poſt quos aut mors, aut tarda convaleſcentia. Hoc topicum diu afflixit, etiam convaleſcentes.

Febris putrida cum inflammatione hepatis.

In fabro lignario tardo homine & taciturno, poſt 32 dies mors eſt ſecuta. Circa 20mum morbi diem icterus ortus eſt, & dolor ad regionem veſiculæ felleæ, quem, utut delirans, oſtendit, abdomine contrectato. Cubabat ore ſemper hiante, anxius, jactabundus, & per noctem muſſitans, gruniens etiam; pulſu ſemper vibrato; alvo facili, fluente inſcio. Difficilis deglutitio facta eſt, os ſuliginoſum, artus projecti; emaciatio, ut robur muſculorum perſtaret. Poſt mortem valde magnum, & durum, & flavum hepar fuit; veſica bile plurima, æruginoſa, tenuique diſtenta; ductus cyſticus piſiformi maſſa, fellea, indurata, ita tamen, ut digitis poſſit comprimi, eodem modo obſtructus, ut nulla ratione bilis potuerit in ductum communem & duodenum exprimi. Icterus ergo fuit ex bile cyſtica reſorpta.

Potentia ſtimulantia, corticem &c, hæ putridæ non tulerunt, ſed oxyſacharum, acida vitriolia moderata; aliquoties etiam florum arnicæ decoctum, ſed raro.

Oculi

Oculi ferme plerisque putrida ſynocho affectis ſubflaveſcebant.

Lævum ominabar, ſi putrida hæc aut fabrum lignarium (æſtivo ſole peruſtum), aut piſtorem corripuerat; item, ſi hepar affectum ſimul fuerat; malueram enim affectum pulmonem. Item lævum, ſi in homine antea morbis ventriculi, aut ſyſtematis hepatici laborante hæc febris fuerat. Lævum quoque, ſi os ſemper hiaret, ſi difficulter deglutiret absque viſibili vitio faucium. Erant enim tunc paralyſes maſſeteris, & ſemiparalyſes œſophagi; plerumque paralyſis veſicæ præceſſit, & inde lotium ſuppreſſum. Lotii tamen ſuppreſſionem minus timui.

Febres tertianæ.

Intermittentes tertianæ, ſimplices & duplicatæ vino antimonii *Huxhami* curatæ, aut decocto nobis uſitatiſſimo, & utiliſſimo, radicum graminis, taraxaci, cichorei.

Ægri dyſenterici hujus anni.

Die 6. Junii prima dyſenteria; 25. Junii altera dyſenteria. 7. Jul. 3tia; inde complures.

Per menſem Julii fuerunt apud nos 15 dyſenterici.

A prima Auguſti ad 24. incluſive fuerunt ægri dyſenterici No. 36. In collegio practico fuerunt dyſenteriæ No. 6.

Mortui dyſenterici ad diem usque 24. Aug.

1) *Vetula* 63 annorum, frigidis artubus ad nos delata; uſa antea rheo, theriaca. Ardor thoracis aſſiduus; luridus cruor per alvum. Circa decimum diem morbi periit, octavo die ad nos deportata.

2) *Alia vetula* 97 annorum eodem modo. Noctu adfuit frigus artuum, ſed ardor aſſiduus.

3) Coqua Domini K*. ſenicula. Calculus magnus bilioſus in veſicula repertus. Artuum frigus, ſitis inexplebilis, ardor aſſiduus thoracis.

4) Periit item vetula 76 annorum; frigidiſſimis mox artubus, ardor aſſiduus. Sitis immanis. Sudores frigidi ſemper.

5) Juvencula inter aſſiduas jactitationes, alvum profuſam, chyloſam habens. Tormiſaltum, vinum.

6) Juvenis longa primum iſchiade per multas ſeptimanas vexatus, dein oppreſſione thoracis, tandem intermittente tertiana. Demum convaleſcens incidit in dyſenteriam, unde periit.

7) Alius robuſtus vir, poſtquam per ſex ſeptimanas febre putrida domi laboraret, & modice inciperet convaleſcere, ad nos delatus, mox ſubfrigere artubus cepit, ardor aſſiduus. Arida, bovilla lingua, ſtupor. Mors dyſenterica.

Om-

Omnes hi octava, nonaque die ad nos delati sunt. Reliqui subinde 12, 14. primum die venerunt.

Tribus pedum oedema ortum est, sensim difflatum.

Binis rheuma capitis post dysenteriam, curatum tamen emesi.

Sex fuere, quibus longa, & molesta adfuit diarrhæa. Tribus inde crurum oedema.

SEPTEMBER.

Constitutio Septembris.

1 — 2. Bona tempestas.

3. Pluviæ.

4. Bonum, serenum; frigidiusculum.

5. 6. 7. 8. 9. 10.

Idem usque ad 23., quo die, nocteque hunc diem præcedente pluviosa & frigida tempestas fuit.

Dein denuo serenum, frigidum; finis pluviosus.

Febres putrido - inflammatoriæ.

1. Phlogosis major in dies fuit, etsi os valde limosum, quasi sapone soluto plenum, spumans, nauseosum fuerit. *Majora* enim saburræ signa aderant, quam pro mole saburræ.

2. Putrido - inflammatoriæ, venæ sectionis, & repetitæ patientes, stimuli impatientes;

entes; caput valde hebes; oculi ſubflavi, pulſus non valde alterati, fere naturales. Febris ad ſpeciem vix ulla, niſi ſubinde. Venæ ſectio, & decoctum graminis cum oxymelle valde profuit. Nil moliebamur. Eramus his præmiſſis ſimplices ſpectatores. Profuerat ſub uſu hujus decocti medicina exſpectans. Nocuit modice ſtimulantior medicina.

3. Dyſenteriæ magis inflammatoriæ, evacuationum alvinarum prorſus impatientes, venæ ſectione curatæ; teneſmi validiores, diuturniores, emollientibus enematibus ſanandi.

4. Omnibus ferme ægris aliquid flavi in oculis apparuit. Icteri non rari.

5. Oportuit vel ipſos hydropicos hoc anno, & præcipue hoc menſe antiphlogiſticis tractare. Subinde venæ ſectiones; plerumque tamen decocto altheæ, cum oxymelle ſimplici & ſquillitico, nitro, aut terra foliata tartari.

Tanta vis eſt conſtitutionum! tanta has cognoſcendi neceſſitas, non in morbis ſolum popularibus, ſed etiam in intercurrentibus! Nollem eſſe medicus absque hoc duce.

6. Fa-

6. Facilis curatio intermittentium plerarumque solo nostro decocto graminis, taraxaci, cichorei; ut etiam quarundam remittentium. Sub finem mensis cortex quibusdam dari debuit: at vero remittentibus nunquam profuit.

Cura intermittentium

Die 22. Septembris puella 17 annorum, lotrix, quæ tribus solum hucusque vicibus rite est menstruata, ultima vice ante hunc præsentem morbum, semper antea sana, die 18. Septembris circa meridiem, cum pomum recens manducaret, spasmum maxillæ incipit sentire; is die 19, 20, 21, gravior evasit; deglutitio difficillima cum *constrictione œsophagi*, si quid deglutiverat, item per vices retractio capitis in posteriora, dolorque in nucha retrahens. Dolor temporum, & utrinque ad maxillas inferiores; item cephalalgia. Die 22. Septembris ad nos defertur. Eo die febrire & calere cepit. Venæ sectio; sanguis bonus. Alvus adstricta. 23. inunctio mercurialis, itemque 24. At vero die 25. nil potuit prorsus deglutire; quin deglutire volenti accessit faucium constrictio, & tantum *insultus epileptici*. Per alvum eo die nil potuit injici, adeo erat anus constricta, introtracta, & sub enemate injiciendo accessere convulsiones. Aucta est

Spasmus maxillæ.

tunc inunctio mercurialis. Nocte hunc diem insequente mortua est.

Enteritides.

7. Dysenteriæ rariores sub finem, sed phlogisticoteræ, & enteriticæ, etsi inflammatoriam dysenteriæ indolem non tam ex *doloris continuitate*, quam ex cognita *anni constitutione*, & ex aliis morbis phlogisticis una regnantibus licuerit desumere. Solis venæ sectionibus, & emollientibus sanavi omnes. Evacuantia alvina, atque emesis nocuerunt.

Inflammationes viscerum cum labe biliosa.

8. Febres pleuriticæ, peripneumonicæ, hepatiticæ, enteriticæ, multæ & billioso-inflammatoriæ, aut saburrales cum diathesi phlogistica, phlogistico-rheumatica; *remittentes* quoad typum; *longæ* quoad durationem; *levatæ* usu eccoproticorum, enematum frequentiorum, ubi magna vis stercorum cum levamine magno per totum fere morbum educebatur; alvo sponte faciliori citius sanatæ. Venæ sectionis etiam repetitæ necessitas in principio & progressu. Corticis peruviani, & stimulorum impatientissimæ Unus, alterve ex tali febre obiit. Latens alicubi, in pulmonibus præcipue inflammatio ostendit phlogisticam simul morbi indolem, etsi ultimo morbi stadio per multos sæpe dies debilissimus pulsus esset.

9.

9. Quasdam, mere putridas visas, sanavi parca venæ sectione, aliquoties instituta, & sanguine phlogistico educto. Fuerunt enim aspectu mere putridæ; re ipsa autem erant putrido-inflammatoriæ.

OCTOBER.

Constitutio Octobris.

1. Pluviosum & nebulosum; usque ad sextum pluviæ interspersæ. 7. serenum; 11. nebulosum.

12. 13. modice nebulosum; modicæ pluviæ; cœlum deinde serenum, amœnum.

20. Pluviæ confertissimæ; maxime noctu; 21. idem.

23. Serenum; & postea amœnum, non valde frigidum.

Ultima medietas Octobris sæpius amœne incaluit.

Intermittentes.

1. Intermittentes priori mense natæ nunc demum nobis offerebantur tertianæ, quartanæ, simplices, duplicatæ, triplicatæ. Recentes solis solventibus curabantur; diuturniores vero his præmissis cortice peruviano.

Febris intermitteus inflammationibus thoracis juncta.

2. Quosdam habuimus, qui gravi aut pleuritide, aut peripneumonia laborantes simul habuere tertianam, aut quartanam; du-

rante

rante morbo acuto paroxysmi regulariter redierunt; & pleuritide aut peripneumonia jam percurata, perſtabat intermittens. His vero corticem dare non licuit: rediit enim binis, qui ægrotabant, priſtina pulmonum inflammatio, uni etiam ſimul hepatitis, generoſa cura antiphlogiſtica curandæ.

Frequens pleuritis.

3. Pleuritis, pleuroperipneumonia, ubique frequens, & plerumque gravis in utroque ſexu, magnarum, & multarum venæ ſectionum neceſſitas fuit. Multis etiam hepar, aut cum hoc & pulmonibus etiam abdomen reliquum inflammatione correptum fuit. Magna doloris, & ampla diffuſio. Craſſiſſimæ cruſtæ.

In quibusdam etiam uterque pulmo inflammatione laborabat; tunc pulſum mollem deprehendi aliquoties, qui venæ ſectione fortis evaſit, cum ægri levamine.

Febres remittentes.

4. Febres *continuæ*, aut *remittentes*, etſi aut ſaburrales, aut putridæ non raro ad ſpeciem viderentur, fuerunt nihilominus inflammatoriæ re ipſa.

5. Puella matri ægrotanti inſerviit: mater obiit domi ſuæ. Puella circa decimam Septembris thoracis & oppreſſionem, & ardorem quæri cœpit; morbum neglexit ad 28. Septembris usque, ubi hoc ſympto-

ma

ma quæſta ad nos venit. Febre ſe caruiſſe aiebat hucusque. Ea adhuc nocte furioſe cepit delirare, validiſſime febricitare. Vena ſæpius & largiter eſt ſecta, & ſanguis ſimul phlogiſticus eductus. Poſt paucos dies furor deſiit; manſit tamen delirium mite, vox rauca, & tuſſicula, præcipue ſi quid aſſumpſiſſet potulenti. Incubabat frequentius lateri ſiniſtro; & cum aliquoties mens rediret, difficulter ſe deglutire, & dolorem per gutturis decurſum ſentire. Potus tepidi aſſumpti, & molles; fomenta toti collo; vapores tepidi ore hauſti. Tandem his non proficientibus appoſitum eſt veſicans ad anterius collum. Notandum eſt id ſingulare, ægræ continuo ferme ſpumam ex ore profluiſſe, & ſubinde, quaſi maſticaret aliquid, ita moviſſe os. Circa 18. Octobris meliuscule habere, & redire mens cœpit. Alvum non amplius in lectum mittere, ſed ſurgere, febris multum minui, mollefcere pulſus, melius deglutire, neque de gutturis dolore queri, nec ſpumam ore profundere, nec maſticare. At thoracem ſiniſtrum modice oppreſſum eſſe, & moderate dolere ajebat, eidemque lateri crebrius incubuit, ſubinde tamen etiam dorſo. Die

Phrenitis lethalis a metaſtaſi ſeroſa.

24. mane nobis bene ſperantibus repente obiit.

In cadavere pulmo ſiniſter inflammatiſſimus fuit, ſeri non parum in ejusdem lateris cavo. Fere unciæ ſex ſeri colore ſtramineo in pericardio fuerunt. Aliqua quoque portio pulmonis dextri erat inflammata. epiglottis utrinque arroſa, uti& rima glottidis modiciſſime, hinc inde veluti ſuppurans. Membrana vero caput aſperæ arteriæ intus inveſtiens, modiciſſime rubuit, per totum aſperiæ tractum albeſcens. Bronchia eadem ſpuma replevit, quam ægra vivens identitem ex ore profudit.

Nota hinc ſequentia; 1. Inflammationes etiam occidunt *metaſtaſi ſeroſa*, præcipue repente facta ad locum ejusdem intolerantem; non dubito, pericardii hydropem repente ortum ægram e medio tuliſſe *inopinato*, utut magna adfuerit adhuc pulmonis inflammatio. Inde quoque eſt magna incertitudo in prognoſi.

2. Diuturnitas crudæ inflammationis.

3. Male arbitrantur quidam, morbos in ſervitio ægrorum contractos ſemper eſſe *putridos*, contrarium aliquoties vidi.

Dyſenteria a rheuma-

Vidi per hos duos menſes tumorem rheumaticum dolentiſſimum in genu una nocte

te disparuiſſe, oborta graviſſima, & cruenta dyſenteria; dyſenteria curata, tumorque dolorque idem in genu, qui antea.

tis metaſtaſi.

Poſt dyſenteriam non bene curatam initio ob varios ægrorum errores vidi ſemel ſummam emaciationem, aridiſſimam cutem, qualem in extrema phthiſi nemo facile deprehendit; ægra tamen convaluit. Pulſus ſemper erat firmus, bonusque, & appetitus perſtans. Uni fœminæ dyſenteriam negligentiſſime curanti emaciatio, febricula, parotis, & mors.

Emaciatio poſt dyſenteriam.

NOVEMBER.

Fere totus hic menſis nebuloſus, nubilus, madidus, lutoſus fuit. Frigus moderatum valde. Pluviæ crebræ.

Conſtitutio Novembris

Die 25. 26. ſol, & amœnitas. Dein iterum nebulæ, nubila.

Die 19. nives tenuiſſimæ fere tota die.

1. Intermittentes priorum menſium plurimæ, nunc demum ad nos veniunt; quartanæ multæ, ſubinde cum diatheſi inflammatoria.

2. Rarior incipit eſſe numerus acute decumbentium: nec novæ modo oriuntur intermittentes.

Menſis hic præ ceteris ſalubrior.

3. Hunc, uti & sequentem mensem sæpius cæteris saniorem vidi; ipsis adeo mensibus vernalibus.

Successio constitutionum.

4. Febris inflammatoria jam incœpit anno 1778; major erat 1779, & major adhuc 1780. Biliosa enim anni 776 late regnavit, at mitior erat anno sequenti 777. Annus quidem 78 & 79 bile non penitus caruerunt, attamen semper parcior; parcissima vero anno 1780.

5. Hinc annis 75 76 & 77 princeps remedium fuit emeticum; venæ secti, fuit secundarium. Anno autem 78 æquali passu incedebant. 779 Paulo rarior emesis: frequens venæ sectio per totum annum.

6. In phlogisticata tamen constitutione subinde emesi opus est; item non raro morbus initio inflammatorius est; dein decidit in biliosam aut saburralem, aut putridam; ubi emesis, aut purgatio necessaria.

7. Necessitas discendi constitutiones annuas, & quæ sit earum ex meis & Sydendenhamianis ordo successiove? Condi possent aphorismi hac de re.

Febris stationaria inflammatorio-biliosa.

Febris hæc stationaria, quæ hoc anno ακμην assecuta videtur, non erat impermixta, magis tamen hoc anno. Concurrunt, intercurrunt, insequuntur nihilominus non

pauci

pauci biliosi morbi; saburrales; aut gastrici.

Imperium febris stationariæ.

Nescio, an non certa sit periodus febrium *stationariarum*, ita, ut evolutis certis quibusdam annorum curriculis redeant in orbem eodem ordine febres stationariæ, quo visæ sunt temporibus anteactis. Id quidem ita fieri arbitror. Nam & annuæ febres certam quovis anno periodum absolvunt.

Febres sporadicæ participant & de *stationaria*, & de *annua*.

Morbi intercurrentes.

Morbi febriles epidemici intercurrentes sunt variolæ, morbilli, tussis convulsiva &c.; participant æque de stationaria & annua. Omnibus dominatur febris *stationaria*. Hoc autem vocabulo *intercurrentium* paulo aliter utor, ac *Sydenhamus*.

Quousque se extendat ejusmodi febris stationaria, & quantum terræ occupet, nescimus: sciremus autem, si plures medici, iisdem *Sydenhami* mysteriis initiati, observationes suas in certis terræ plagis per multos annos continuarent, & tandem conferrent.

Febres stationariæ sunt adhuc absque nomine; plerumque *continuæ* sunt. Et in his observandis ordinandisque præter *Sydenhamum* vix quisquam aliquid præstitit. Incultus ergo medicinæ campus hic patet.

Plerorumque auctorum Epidemias describentium conomina febres aut *annuas* solum, aut morbos febriles *epidemicos intercurrentes* descripserunt. Huc mea etiam in antecedentibus scripta pertinent.

Annuas nobis *Grant* descripsit, quam nemo alius tam egregie. Ipsi Natura ipsa dictasse visa est libellum egregium.

Plurium annorum curriculum, quo aliquis morbus obtinet, seu febris *stationaria*, *constitutio* appellatur.

Quid sit *stationaria*, *annua*, *epidemicus intercurrens*, *constitutio*, facile ex his explicatur.

In morbis chronicis *stationariæ* & *annuæ* considerario maximi eit momenti, e. g. in phthisi, hydrope, venereis morbis &c.

Stationariæ febris influxum præpotentem observavi potissimum in annuis, dysenteriis æstivis anni 76 — 77 — 78 — 79 & 80. Hoc enim ultimo fuerunt *dysenteriæ phlogisticoteræ*.

Stationariæ suos *lusus* habent, & *modificationes*. Ita etiam *annua*.

Febris stationariæ nomen *Sydenhamus* voluit subinde desumere ab epidemico quodam concurrente, sic febrim ille habuit *variolosam*, *dysentericam* &c. Non placet

mihi

mihi hæc contemplatio constitutionis, aut febris stationariæ, desumpta vel a febre *annua*, vel anneæ *modificatione*, vel epidemico *intercurrente*; cum febris stationariæ talis compellatio non competat toto tempore illo, quo febris stationaria dominatur.

1. Morbi hoc mense *longi*, *asthmatici*, *pleuritici*, *peripneumonici*. Scilicet aut *pituitosi*, aut *inflammatorii*, aut, idque potissimum, ex utrisque compositi; hi fuere prioribus copiosiores.

Morbi pituitoso-inflammatorii.

2 Hydropicis hac tempestate validiora diuretica nocuerunt; profuerunt potus mere antiphlogistici ex decocto graminis libris ij, oxymellis simplicis unciis ij, nitri puri & cremoris tartari āā dr. 1.

Hydropes subinflammatorii.

3. Rheumatismi artuum, genuum, intestinorum, seu *dysenteriæ*, enteritides antiphlogisticis, & venæ sectione sanabantur.

4. Non erant acutissimæ inflammationes, sed diuturniores, retusæ; aderat plus minusve pituitæ.

5. Peripneumoniæ nothæ quidem, attamen propius accesserunt ad *inflammatorias*, quam ad *pituitosas*.

6. Intermittentes initio mensis crebræ erant, cum inflammatione thoracis, vel cum pleuritide, seu peripneumonia conjunctæ;

Intermittentes.

ſerius vero & circa menſis finem erant abſque inflammatione, & cortice indigebant præ alia methodo quacunque; alia enim omnia has febres non auferebant.

7. Menſe Novembri paucæ occurrebant colicæ pictonum; pauciſſimæ Novombri, & nullæ circa ejus finem. Fors pituita ventriculos contra plumbum munivit.

Uſus flor. arnicæ tempore pituitoſo.

8. Quibus flores arnicæ dederam, ii facilius, & ſine ullo incommodo hoc menſe tulerunt, qui procul dubio alio anni tempore ab eadem doſi fuiſſent offenſi.

9. Pauciſſimi icterici.

Febres pituitoſæ.

10. Circa finem menſis quædam febres pituitoſæ. Rariſſimæ toto hoc anno efflo reſcentiæ, ſeu miliares, ſeu petechiales, ſeu ſcarlatinæ, ſeu eryſipelatoſæ. Pauciſſimæ, & benigniſſimæ variolæ, perquam rari morbilli. Nulli carbunculi per æſtatem.

11. Omnes febres fuerunt pituitoſiores circa finem menſis. Hinc inde dyſenteria, diarrhæa, & tormina ſicca.

12. Tamen numerus ægrorum univerſim non magnus fuit, & multo minor, quam ullo alio menſe, ſi morbos febriles paulum graviores ſpectes.

Hypochondriacorum querelæ.

13. Sub finem menſis multæ hypochondriacorum querelæ auditæ ſunt, de ſpasmis,

an-

anxietate &c. Erant primæ viæ valde mucosæ; profuit purgans lene, salinum ex aqua aromatica per aliquot dies haustum. Pessime habuerunt hoc mense litterati, sedentarii, hypochondriaci. Profuit his, salinis præmissis, restaurans diæta, vestitus calidior, & vinum repurgato ventriculo, & intestinis ad hilaritatem usque potum.

DECEMBER.

Convulsio Septembris

1—4 amœnum frigidum, sol, nullæ nebulæ. Idem serius. At die 7. nebulosum & molle per totam diem.

8. Frigus siccum; amœnus sol.

9. Ventosum frigidum; sole abscondito; cœlum nivosum, nive tamen non cadente.

10. Frigus acutum; ventosissimum; nives lapsæ.

13. Pluviæ toto die.

14. Ventosum, lutosissimum.

15. Lutosum, nebulosum.

17. Nives iterum.

18. Nives, siccum frigus.

Post vigesimum frigus iterum remisit, & aura mollis facta est; terra tamen nivibus tecta mansit.

Pleuritides.

1. Sub exitum prioris mensis, & initio hujus peripneumoniæ & pleuritides visæ sunt complures. Fuerunt cum maxima respirationis difficultate, ferme asthmatica, potissimum noctu. Pulsus pleni, duri, vibrantes; non tamen valde accelerati, & subinde vix celeriores naturalibus. Calor non intensus, sed ferme naturalis. Crusta lardacea, crassa. Urinæ rubræ intensius. Sputa glutinosa multa, cum sanguine. Poterat pulsus, & calor, & morbi apparens lenitas (excepta sola respiratione) medicum fallere, eumque facere incurium. Alvus plerumque modice fluens.

2. Sub finem mensis peripneumoniæ & pleuritides plures; magis tamen inter viros.

F. pituitosæ inter fœminas.

3. Inter fœminas vero febres *pituitosæ* non paucæ, initio inflammatoriæ, vel universales absque topica affectione. Hinc in quibusdam in latus irruit morbus, ut instar pleuriticorum doleret; aut in pulmonem, ut imaginem præseferret nothæ *Sydenhami* peripneumoniæ; non paucis intestina lacessebantur, ut enteritidis quandam speciem paterentur, aut alvum ponerent more dysentericorum; quibusdam sub febris rheumaticæ, sub ischiadis, sub lumbaginis larva delituit febris hæc pituitosa.

Binæ

Binæ abortum passæ septimestrem, fœtu diutius jam mortuo. Enteriticos dolores passæ sunt, & ante, & magis adhuc post abortum. Una ex his, cum jam convalesceret per generosam methodum antiphlogisticam, die septimo, cum per biduum bene haberet, media nocte dolore novo, vehementissimoque abdominis correpta, æruginosa multa assiduo vomebat; abdomen dolentissimum. Nil profuit. Exacto vix bino nychthemero obiit. Omentum, omnia ferme intestina, maxime tenuia, itemque uteri interna facies, partim gangrænosa, partim vero inflammata. Materies puriformis in cavo abdominis; nullibi tamen erat abscessus. Materiam, qui servaverant, effuderunt. An erat lac? an pus? an vero, quod probabilius, lympha phlogistica, quæ transsudavit?

Abortus.

4. Febres hæ fœminarum initio phlebotomiam, dein vero emesin, aut purgationem alvinam exigebant non raro; tandem gramen, taraxacum, & cichoreum. Major quoque multo fuit evacuantium necessitas apud fœminas, quam apud viros, utpote qui potius inflammatorie ægrotabant. Chloroticæ plures ex pituitosa febre ægrotabant, ore pituitoso, acidum spirante.

Enteritis puerperarum.

5. Puerperæ fere omnes dolores colicos, aut potius enteriticos patiebantur; ore tamen immundo, pituitoſo. Alvinas evacuationes non ferebant, ſed ſanguineas, cum abdominis fotu emolliente; ſero vero alvus utiliter fluebat.

6. Perpaucæ jam intermittentes, eæque non rebelles.

Peripneumoniæ nothæ.

7. Ultimis anni diebus querelæ multo plures auditæ ſunt inter fœminas de oris amarore, & pituita; pleuritides & peripneumoniæ, notha utraque; venæ ſectiones initio, dein vel emeſis, aut purgationes alvinæ, prout materies vel ſurſum, vel deorſum turgebat, profuerunt.

8. Iſchias frequens purgatione iterata ſalina melius habuit; exaſperata vero veſicante, ſtibio, & diaphoreticis.

SEC-

SECTIO II.

OBSERVATIONES MEDICÆ

ANNI 1773.

IN HUNGARIA FACTÆ.

HISTORIA I.

Die 18. *Julii.*

I. Fluor albus, cum oëdemate, crurum.

Domina de M***. ann. 27 ſepties peperit partu ſemper felici. Peculiare nil in anamneſi habet. Ante quatuor menſes abortum duorum menſium paſſa eſt, absque nimia tamen ſanguinis jactura, & absque peculiari, aut graviori ſymptomate. Inde pedes & crura cœperunt tumore oedematoſo tumere. Evanuit hic tumor ſubinde rediitque, at modo per quatuordecim dies manet, imo augetur. Prioribus tribus aut quatuor annis fluor albus ſæpius aderat, abiitque. Toto hoc poſt abortum tempore copioſa & boni coloris menſtrua, cum præcedente dolore capitis, lumborum & febri ſingulo menſe. Tempore autem intermedio inter menſtruationes aderat ſemper per octo circiter dies fluor albus. Poſt abortum hucusque videtur facies plenior, totumque corpus pinguius. Dentes ab aliquot annis minus firmi. Gingivæ abſumptæ. Juſſi, ut abſtineat

omni

omni potu calido theato, quo quidem raro utebatur. Suasi ut loco aquæ, qua pro potu ordinario utebatur, incipiat sensim vino uti. Abstineat balneis calidis. Utatur diæta potius sicca. N. Fluor albus subinde erat excorians, mane hypopia tumentia, somnolenta est.

℞. Massæ pilularum extracti catholici grana X.
Resinæ jalappæ
Scamonii āā grana V
Castorei grana ij
M. f. Pilul. Nro. V. Sumat pro dosi.

Sexies inde dejecit. Dedi deinde

℞. Saponis veneti unc. β
Gummi ammoniaci drachm. ij.
Massæ Pilularum Ruffi drachm. 1.
M. f. Pil. gr. iij; quater de die pilulas tres. Alvus inde bis, ter per diem laxatur. Pergit fluor albus. Deinde dedi corticem peruvianum absque marte, ob suspicionem, quod post usum harum ultimarum pilularum fuerit impraegnata.

℞. Corticis peruviani uncias ij
F. pulveres singuli scrupul. ij.

Sumat primo die mane & vesperi unum pulverem. Secundo autem die pulveres tres. Tertio quatuor, & ita pergat semper sumen-

do

do pulveres quatuor per diem. Pro dentibus autem

℞. Tincturæ lacc. alumin.
Syrupi Myrrtit. āā unciam β
Aluminis rupei ſcrupulos ij
Sanguinis draconis drachm. β

M. Ut ſubinde per diem gingivas illiniat. Pedes juſſi faſcia ligari.

Die 24. Julii.

Sumat modo quater de die drachmam unam corticis peruviani.

Ad huuc diem exſpectat menſtrua.

NB. Corpus hoc potenter in hydropem anaſarcam tendit; facies & habitus corporis plenior, & fallaciter pinguior, color item faciei bonus, ſæpe venuſtus roſeusque, incauto medico optimam ſanitatem mentiretur.

Die 28. Julii.

Per aliquot dies urina copioſior ſolito prodit, etſi antea parca nunquam fuerit, & etſi modo parcius bibat. Pedes minus tument. Die 16. Julii puſtulam parvulam ad malleolum externum pedis ſiniſtri, pure plenam habuit, pellicula abſecta pus emiſſum. At locus excoriari incœpit, & ulcus boni quidem moris, circulare, ad magnitudinem ſeptenarii, nullo modo tamen pro-

fun-

fundum, sed solummodo superficiarium oriebatur inde. Adhibui plumacæolum siccum, subinde emplastrum album. At nihilominus semper aquam plorabat. Pes hic sinister semper magis tumebat, quam dexter.

Præscripsi hodie sequens:

℞. Corticis peruviani scrup. ij
Limaturæ ferri non rubiginosi grana VI.

M. f. pulvis, & fiant tales Nro. xxxvj. Sumat quater de die pulverem cum pauculo vino. Ad crura admittat fumum mastichis & fricet pannis.

Die 4 — 9. *August.*

Crura detumescunt. Locus excoriatus ad malleolum externum pedis sinistri coaluit. Minus pinguis etiam in manibus & reliqno corpore sibi videtur. NB. Observavit hæc Domina toties, quoties concepit (peperit autem jam septies) quod primo statim mense sibi emaneant menstrua. Cum ergo debito tempore tamen optime habeat, mars in præscriptione omissus est.

℞. Corticis peruviani uncias V.

F. pulveres singuli drachmæ unius. Quater de die pulverem.

Die 16. *August.*

℞. Pulveris corticis peruviani uncias V.

F.

F. Pulveres ſinguli Drachmæ unius.

Die 18. *Auguſt.*

Hac nocte rediere menſtrua absque ullo dolore, ut adeo conſtet ſatis probabiliter, illam non eſſe gravidam.

Die 24. *Auguſt.*

Hucusque fluunt menſtrua; ſolebant ſemper octo dies fluere. Color menſtruorum non perfecte ſanguineus, ob admixtam materiam fluoris albi. Fluor albus univerſim parcior longe eſt.

℞. Corticis peruviani drachmam I.
Limaturæ ferri non rubiginoſi grana VI.

M. f. Pulvis & fiant tales No. XL. quater de die pulverem, cum pauxillo vini.

Die 25. *Auguſt.*

Menſtrua ceſſarunt. Perrexit in uſu corticis; eundem ſubinde ſumſit cum marte in vino. Rediere menſtrua copioſa & boni coloris, tempore debito. Nullus amplius fluor albus.

HISTORIA II.

Die 30. *Julii.*

II. Lumbricus

Puer annorum duorum & unius menſis jam inde a paſchate diarrhœam habet. Quin-

Quinquies, septies deponit quotidie alvum, insuper etiam per noctem aliquoties. Semel per tres septimanas cessavit, & optime tunc valuit puer, at rediit. Augetur autem comestis carnibus. Fœces subinde virides, subinde glutinosæ, varii subinde coloris. Subinde cruda indigestaque alvo abeunt. Si diarrhœa parcior sit, tunc abdomen tumere magis incipit. Abdomen molle, mane vix tumidum, dein vero tumet. Subinde dolores colici; nunquam conspiciebantur vermes in fœcibus. De pruritu narium sæpissime queritur, dicitque muscas in naribus esse. Nares inde continuo fricat, nunquam vomuit, non tussit. Alacer ceterum est, pinguis, boni coloris, sitit. Subinde repente calet. Pustulas parvulas hinc inde in corpore habet. Oculos inspicere non potui, nam dormientem mater excitare noluit. Incipit modo a continua diarrhœa aliquantum languere.

℞. Seminis santonici
Corticis peruviani āā scrupulos ij
Radicis valerianæ sylvestris
Corallinæ āā drachmam 1 β
Cornu cervi usti
Vitrioli martis āā scrupulum 1.
Pulveris hieræ picræ drachmam 1.

M.

M. f. Pulvis dandus in pyxide. Omni mane detur puero cochleare coffeanum, cum pauxillo mellis aut alicujus syrupi. Quod si nil mutaretur; det mane parvum cochleare hora sexta, & alterum hora decima ante meridiem. Si autem nimium purgaretur, det omni altero mane.

℞. Unguenti nervini uncias iij.
— — — arthanitæ unciam ß
Olei laurini drachmas iij.
M. Bis de die ventrem probe fricet.

Nudius tertius circa decimam antemeridianam friguit, vomuit bis pituitam, caluit postmodum & sudavit. Noctu somnus; appetiit parum. Die sequenti mane alacris satis surrexit. Circa decimam denuo frigus, vomitus, calor & sudor uti antea. Circa quartam pomeridianam comode se habuit, attamen per noctem rediit calor & demum sudor. NB. Puer lecti & tegumenti impatientissimus finem paroxysmi non expectavit, sed in medio sudore surgens eundem retropressit, unde rediit calor, sudorque per noctem.

Mane se commode habuit circa decimam; denuo vomuit; post vomitum dolores queritur colicos, quos statim sedavit lumbricus vivus ano excretus, unius circiter pe-

dis longitudine. Frigus hodie nullum fuit. NB. Puer tempore paroxysmi dolores lumborum, capitis, & ſitim conquerebatur: dedi ſequens:

℞. Aquæ ceraſorum nigrorum
Syrupi abſynthii āā unciam 1ß
Extract. cort. peruvian drachmas iij
Salis polychreſti ſcrupulum 1

M. Sumat hora 5ta, 7ma, 9na veſpertina, 6ta & 8va matutina ſingula vice cohleare ordinarium.

Curatus eſt iſte puer ex integro.

HISTORIA III.

Die 1. Auguſt.

IIſ. Febris tertiana duplicata.

P. K***. Præmonſtratenſis die 27. Julii hora pomeridiana, media quarta, frigore corripitur; ſequente calore. Paroxysmus circa decimam finiebatur. Altero die circa idem tempus redit paroxysmus, cum pauciori & breviſſimo frigore, at eo majori cum calore. Die tertio paroxysmus uti primo die. Die quarto uti ſecundo. Die quinto paroxysmus circa primam pomeridianam; frigus trihorio duravit; finiebatur circa mediam decimam. Noctu ſemper bonus ſomnus. Sub paroxysmo vomuit viridem materiam. Sumſit

ſit tunc per tres ſubſequentes dies pulverem d'Ailhaud, unde purgabatur. In quinto paroxysmo ingens conatus ad vomendum, quem immiſſo in fauces digito juvit. Vomuit pauca viridia cum ingenti difficultate. Ad ultima ſtriæ ſanguineæ obſervantur in ſputo. Sub paroxysmo quinto dolores artuum omnium habuit ſævos. Extra paroxysmum queritur de inflato tumidoque ventriculo, de pondere in ventriculo. Dolet ad attactum in hypochondrio ſiniſtro. Abdomen molle, non tumens. Caput erecto grave, decumbens ſanus eſſe videtur. Parum appetit. Pulſus tempore intercalari bonus; apyretos. Hodie (10. Aug.) ſextus paroxysmus hora media quarta pomeridiana. Præſcripſi ſequentia:

℞. Radicis Graminis
— — Taraxici
— — Helenii $\bar{aa}$ libram ß

Concif. cont. divid. in part. tres D. U.

Singula coquantur per $1\frac{1}{2}$ horam cum ſufficienti quantitate aquæ, colatura libr. ij. fortiter exprimatur.

℞. Syrupi fumariæ
Oxymellis ſimplicis $\bar{aa}$ uncias IV
Salis polychreſti unciam ß.

M. Bibat omni hora extra paroxysmum vasculum caffeanum decocti, cui addet duo parva cochlearia syrupi.

℞. Unguenti populei
— — — nervini āā uncias ij
— — — arthanitæ unciam β.

M. D. U. Bis de die hypochondria probe fricet.

℞. Florum Sambuc. manipulos IV

Manipul. unum infundat cum aquæ fervidæ Libris duabus, bibat tempore paroxysmi.

Die 5. August.

Septimus paroxysmus iterum validus circa meridiem. Octavus paroxysmus pauco tantum ad vesperam calore absolvebatur. Nonus paroxysmus (die 4. Aug.) penitus emansit. Minor ad hypochondrium sinistrum durities, minorve dolor. Ventriculus aliquantum melior. N. Pondus ventriculi & vomituritio non emetico, sed solventibus curata.

Pergat in usu priorum.

Die 14. August.

Vesperi alteratio febrilis per duas horas cum levi horripilatione, & sequente calore. Subsequente die bene se habuit. Die ter-

tertio mane leves calores, præcipue in manibus. Præſcripſi ſequentia :

℞. Extracti corticis peruviani unciam 1β
— — — helenii unciam β
Syrupi abſynthii q. s.

F. Pilul. granor. iij quater de die. Sumat quatuor, quamdiu animadvertuntur alterationes febriles. Poſtea autem bis de die quatuor.

℞. Radicis Graminis
— — Taraxaci
Trifolii fibrini āā uncias iij

C. C. D. U. Singula coquantur per horam cum menſura una aquæ, colaturam fortiter exprimendo. Bibat vasculum coffeanum poſt aſſumptas pilulas.

Die 23. *Auguſt.*

Bene ſe habet per omnia ; pergat tamen adhuc in uſu priorum.

HISTORIA IV.

Die 8. *Julii.*

Phthiſis.

Emericus F***. annorum quatuordecim circa octavam Julii anni 1772 dolorem pleuriticum ad latus dextrum inferius accepit, caluit ſemper ad noctem; poſt duas ſeptimanas acceſſit tuſſis ſicca. Perſtitit autem

dolor, caloresque, qui ad vesperam augebantur. Decubuit autem facile in utrumque latus. Hucusque ægrotavit ορθοςταδην, functusque est negotiis suis. Die 29. Julii medicus vocatus consulit, ut illico decumbat, ægrius ipsum valere, quam ægrotus ipse sibi persuadeat. Dedit illo die pulveres; sequenti die vero mixturam. Hoc die prima vice modicissimus tantum lateris dolor, qui brevi penitus evanuit. Die proximo sensit æger horripilationes vagas, caloresque. Nullus amplius dolor. Die sequenti dedit ei medicus purgans. Die proximo quid dederit, non scio. Die sequenti novus dolor pleuriticus ad latus sinistrum inferius. Tunc autem in neutrum latus decumbere potuit, sed jacuit supinus. Duravit is dolor per quatuor dies. Successerunt denuo vagi horrores, calores, tussis perstitit. Debilitas & emaciatio secuta est. Dedit tunc medicus serum lactis succo limoniorum paratum; dein mixturam caffeani coloris. Lichenem islandicum fervido lacte infusum per modum Thee. Dein omni die lagenam aquæ selteranæ cum quarta parte lactis, facto interim corporis exercitio. De infuso lichenis dedit mane & vespere libram unam; aquam autem selteranam cum lacte colostrato evomuit. At febris

bris acceſſit major, horrores vagi, caloresque, dedit ergo pulveres quatuor (quos ex colore corticem fuiſſe ſuſpicatur) ut omni mane unus ſumatur. Dedit poſtmodum ſaccharum lactis, ut ſumat bis de die pulverem; dein electuarium ex ſale polychreſto, extracto liquiritiæ & cortice. Item ſaccharum lactis cum ſaccharo albo, ut infeſtante tuſſi cochlear coffeanum ſumeretur. Species pectorales pro Thee. Alius demum medicus circa 20mum Septembris dedit ſequens:

℞. Extracti corticis peruviani
— — — Myrrhæ āā drachmas iij
Sacchar. alb. libram β

M. ut ſumat aliquoties per diem cochleare coffeanum & bibat infuſum Thee germanorum.

Acceſſere circa idem tempus paroxyſmi febriles circa nonam antemeridianam. Calores veſpertini. Sudores nocturni copioſi. Tuſſis, ſputa partim mucoſa, partim, ſed pauca tamen, purulenta. Caput obtuſum. Sitis. Emaciatio & virium deperditio ſatis velox. In conſilium vocatus die 2. Octobris 1772 ſuaſi corticem in ſubſtantia. Alter medicus tres tantum drachmas per diem dare voluit, hac lege, ut omnes tres abſuman-

tur ante horam nonam matutinam. Utatur diæta lactea.

Die 3. Octob.

Mane nullus ſudor. Ad decimam matutinam leve & breve frigus febrile. Calores ad veſperam.

Die 4. Octob.

Nullus ſudor, ſed levis mador. Circa undecimam levius frigus. Calores minores, minusque diuturni. Alvus ſemel (alvus antea rara) difficilis ſubinde.

Die 5. Octob.

Nullus ſudor. Leviſſimus mador. Nullus hodie paroxysmus. Ante meridiem alvum bis poſuit. Tuſſis levior, rariorque quam aliis diebus. Parum puris in ſputis.

Die 6. Octob.

Nullus ſudor. Leviſſimus vapor. Tuſſis vix aliqua. Sputa non purulenta, ſed ***cocta***, ut poſt coctionem catharri eſſe ſolent, pauciſſima, facilia. Alvus ſemel & facilis. Circa decimam matutinam leve frigus pedum, an ob frigus aeris externi, id quod ſuſpicor, an aliunde, non conſtat. Calores nulli a prandio; tempeſtate bona curru ad vineas exivit.

NB. Toto hoc tempore nulla oppreſſio pectoris. Pulſus ad veſperam bonus, aut

modi-

modicissime febrilis. Nulla acidi primarum viarum signa. Sequentibus diebus tussis aut nulla, aut vix aliqua. Sputa vix aliqua mane eaque cocta. Respiratio bona. Nulli paroxysmi, dormit in utrumque latus facile. (id quod post dolorem pleuriticum semper hucusque potuit) vires majores. Caput omnino bonum. Facies paulo minus emaciata. Appetitus. Somnus. Nullus ponderis in thorace sensus; non gravatur a pastu. In incessu non anhelat. Non sitit.

Die 10. *Octob.*

Mane levis sudor.

Die 11. *Octob.*

Sudor paulo major.

Die 12. *Octob.*

Denuo levis sudor.

Præscripsi quatuor drachmas corticis in substantia, septima, nona ante meridiem, dein quarta & sexta post meridiem sumendam. Hora autem decima sumat lac, si possit habere, caprinum, calidum adhuc ab animali; aut, quod melius adhuc esset, sugendo. Pergatque in diæta lactea.

Variæ Phthiseos species.

NB. Multæ phthises dicuntur curatæ, cum tamen optimi practici curationes rarissimas possint, uti ipsi fatentur, ostendere. At ratio in promptu videtur esse hæc, quod

veram phthiſeos ideam homin es non medici, & ipſi ſæpe medici non habeant. Item quod diverſiſſima ſæpe phthiſis ſit. Obſervantur homines, qui ſputa copioſa, aut *cocta*, aut *purulenta*, aut *pravi coloris* diu ejiciant, curenturque. Hi homines non febricitant more hecticorum, appetunt, non habent ſudores illos nocturnos, nec alia phthiſicorum ſymptomata. Hi quaſi fontanellam in pulmone habere cenſendi ſunt, qua fluente bene ſe habent. Pus ob faciliorem per ſputa exitum, aut ob craſſas ulceris parietes, aut ob ſanam alias corporis reliqui conſtitutionem non reſorbetur in maſſam humorum. Hi non ſunt phthiſici, quamvis ob periculoſum fonticuli locum, accedente quacunque demum apta cauſſa, occluſo puri per ſputa exitu materies prava reſorberi, & phthiſin *veram* inducere queat. Hi ſunt, quibus *fonticulus* pro derivando pure, aqua *ſelterana*, quæ per diureſin, aliasve vias derivat. Item *purgantia* a *Sydenhamo* laudantur, demum *balſama illa* nativa dari debent.

Lactis & corticis uſus adhiberi etiam poſſunt, quatenus præmuniunt humores a putredine, nutriunt, & quatenus cortex roborat, timendæque putredini reſiſtit. Attamen

tamen in hoc ſtatu tam lac quam cortex minus *directe* indicantur.

Plures ſunt ex hac ægrorum ſpecie, qui curantur, atque ex phthiſi curatos ſe jactitant, medicis ipſis curationem phthiſeos jactitantibus.

Eſt etiam alius morbus, qui facile in phthiſin abit, ſed antequam in eandem abierit, diu infeſtare hominem poteſt, & ignaris *phthiſin* mentiri, ſcilicet ſi materia quædam aut catarrhoſa, aut ſcabioſa, herpetica, venerea, ſcorbutica &c. in pulmones decumbat. Materiam acrem, copioſam, ſalſam, varii coloris ſaporisque, ſatis feliciter per ſputa educunt. Diſpoſitio hæc phthiſica exigit iterum varias derivationes, ad loca magis tuta, incraſſantia, & talia, quæ acrimoniæ notæ directe oppoſita ſunt. In defluxione ſalſa, decubitu materiæ acris ſcabioſæ, retropreſſæ ad pulmones facto, juscula viperina, ranarum, teſtudinum &c. egregie ſæpe proſunt; eſtque is caſus, quem *Cl. Morgagni* epiſt. anat. XXII. art. 31 deſcribit. Item convenit tunc egregie decoctum ex althea &c. Juscula pullorum. Leves decoctiones lignorum &c. ad avertendam, expellendamque materiam acrem. Item balſama nativa, præprimis pauxillum reſinæ the-

therebinthinæ. Hi emaciati ſunt. Tuſſiunt, ſputa copioſa ſæpe efferunt, albida, catarrhalia, varii coloris pravique. Subinde ſputum ſanguinis ſe jungit. Attamen carent febricula, appetunt, dormiunt, cubant in utrumque latus, non gravantur nec rubent a paſtu. Non anhelant, etſi per acclivia gradiantur. Nullus in thorace ſenſus ponderis. At raucedo ſæpe pertinax. In hoc caſu juscula ranarum, viperarum, teſtudinum, cancrorum, pulleſtrorum, lene infuſum ſaſſafras, cum pauxillo therebinthinæ, mane exhibitum, plus efficit, quam *roborantia* & *adſtringentia*. Lactis & corticis uſus in hoc morbo non indicatur, in hac *diſpoſitione ad phthiſin* ſubinde purgantia ſcopo revulſorio, ex conſilio *Sydenhami* prodeſſe poſſunt. Non infrequens hujus morbi curatio eſt.

At ſi ſuppuratione vel pleuræ vel pulmonis facta, indeque aut ex vulnere, aut reſorptum febriculam illam phthiſicorum diæta accendat, tuſſis, ſputa purulenta, ſudores nocturni &c. adſint, *ſola diæta* lactea cum cortice directe indicantur; reliqua omnia aut nocent, aut minus efficacia ſunt, niſi quæ graviori cuidam ſymptomati leniendo dicata ſunt. Eſtque una ex difficillimis

mis phthiſeos ſpecies, quæ in ſecundo ſtadio forte nunquam, in primo vero rariſſime curata eſt.

Inſanabilis eſt phthyſis hæreditaria, priori deterior.

Die 13. *Octob.*

Circa undecimam antemeridianam gravis paroxysmus, ſudor copioſus.

Die 14. *Octob.*

Eadem uti pridie.

Die 15. *Octob. & ſequent.*

Omnia continuo ita minuebantur, ut 18ma, nullus amplius paroxysmus, & 21ma nullus ſudor apparuerit; emanſit & febris & ſudor per aliquot dies. At rediit bis terve alteratio veſpertina, ſudorque ſubinde valde copioſus.

Die 3. *Novemb.*

Audivi, eum a quatuor diebus non niſi capite ſudare, ex quo ſcilicet uti incœperit pulveribus ex hyacintho & lapidibus cancrorum. Utitur modo lacte caprino recenter mulcto, mane & veſpere. Item ad inſpiſſandos humores, pro potu ordinario, emulſione ex ſemine papaveris albi.

Cum die 21. Septemb. adſuiſſem, audivi ipſum puſtulas in corpore valde prurientes habere.

Ap-

Appetit, dormit, non tuſſit, non ſitit, non gravatur a paſtu. Non magis emaciatur.

Die 4. Novemb.

Incipiet ſumere omni mane balſami locatelli ad magnitudinem piſi. Alvus bona omni alterno die.

Die 10. Novemb.

A quinque diebus nullus ſudor, ſomnus bonus, vires meliores, facies plenior. Nulla alteratio. NB. Videtur fuiſſe levius empyema. Evacuatio per ſudores ſufficit in leviori malo, at tunc cortex dari debet. Non videtur fuiſſe exeſus pulmo, cum bona ſit reſpiratio, ſecundo nulla tuſſis, tertio nulla oppreſſio pectoris, quarto decubitus in utrumque latus; ſæpius redire & febris & ſudor ſolet, quia facta evacuatione denuo colligitur pus. Balſama dicuntur a Cl. *Morgagni* inflammare ulceris labia; hinc in phthiſi non conveniunt. Potior uſus eorum eſt in *debilitate pulmonum absque ulcere*, quæ colligitur adeſſe ex facilitate adquirendi catarrhum, ſecundo ex hæmoptiſi per anaſtomoſin, tertio ſputo copioſo, non purulento, diuturno.

Die 17. Novemb.

Omnia ut nuper. At pulſum inveni poſt paſtum *celcrem* & *debilem*.

Puer

Puer diætam præſcriptam minus ſtricte obſervat, & per aliquot dies uſum corticis intermiſit.

Puer excurſiones aliquas fecit, ſibique catarrhum contraxit. Ob intermiſſum corticem denuo leviter ſudare incœpit; ſuaſi ergo circa medium Decembris, ut ſtrenue pergat in uſu medicamentorum.

Die 15. *Januar.* 1773.

Sputa ejicit jam a quatuor ſeptimanis copioſa, coloris varii, modo ſputa partim cocta, partim purulenta, coloris boni. Veſperi calores. Pulſus phthiſicorum. Subinde leves & vagæ horripilationes per dorſum. Corticem per aliquod tempus non ſumſit, dein iterum incœpit ſumere, ſed duas ſolum per diem drachmas. Suaſi ut duas mane, duas alias veſpere quotidie ſumat, id quod facere incœpit die 15. Januar. Non ſudat nocte.

Die 4. *Mart.*

Sumpſit per aliquod tempus decoctum corticis, quia corticem in ſubſtantia nauſeavit. Item lac aſininum vomuit aliquoties. Materia vomitu rejecta acidum ſpirabat. Dabatur ſapo venetus cum lapidibus cancrorum. Sudavit denuo, ceſſarunt item ſudores. Sumit ob tuſſim nocturnam quotidie

ve-

vesperi massam pilularum de styrace ad gr. IV. Dicunt ab his pilulis etiam sudores cessasse, qui per species de hyacintho non amplius, ut alias, poterant sisti. At fors materia sudoris per sputa, aliasque vias eliminabatur, cum ob opium sudoriferum massa pilularum de styrace sudores non possit cohibere. Pedes vesperi modicissime tument. Capilli primo post pleuritidem tempore defluxere, at modo non amplius. Modo autem inter reliquos capillos crescunt alii lani parvulique. Sputa copiosa, purulenta partim, partim catarrhalia cocta.

Die 21. Martii.

Calores omni die ad noctem usque ad mediam noctem, subinde autem usque ad auroram. Tempore autem horum calorum sputa suppressa, & tussis fatigans; cessantibus caloribus prompta expectoratio. Subinde per aliquot dies supprimuntur cum anxietatibus, calore majori, & diarrhœa. Sudores nocturni rari, sæpe nulli. Pedes modo non tument.

Die 20. April.

In juvene hoc sequentia deprehendi: tumor pedum per aliquot dies major quam nuper, ad malleolos usque; a meridie per aliquot dies sæpius vomuit ingesta, acidum

ex

ex ægri ſapore, & adſtantium odore manifeſto ſpirantia, item materiam talem, qualem per ſputa rejicit. Vomitus ſiſtebatur pilulis opiatis cum ſapone veneto & lapidibus cancrorum, item juſculis carnium, & abſtinentia tunc temporis ab aceſcentibus, lacte & lacticiniis. Paroxyſmus veſpertinus plerumque modo ſat levis; raro cum pauco frigore, plerumque nullo incipit. Adpropinquante paroxyſmo, eoque durante tuſſis frequentior, inanis & defatigans. Mane ſputa facilia, purulenta, catarrhalia, cocta, non fœtentia, per aliquot dies rariora. Somnus bonus. Nulla oppreſſio pectoris; decubitus in utrumque latus & in dorſum facilis ſemper; alvus adſtricta (procul dubio ab opiatis veſpertinis). Sudores nocturni nulli, niſi ſubinde, pauci, & in facie tantum. Appetitus. Summa emaciatio. Ingens debilitas, ita, ut ſe vertere, aut pedem alio locare jam non amplius poſſit. NB. Patet, quam male ſæpe ex facili in omnem partem decubitu &c. de ſananda phthiſi hariolemur.

Die 29. April.

Ceſſante ſputo reſpiratio ſubinde ſtrepens, & tunc temporis ſemper valde difficilis, anxietas, & continua ſitus mutatio. Tuſſis tunc inanis, frequens. Sumpto ve-

ſperi opio reſpirationem ſibi ſemper faciliorem affirmabat æger. (Quare hoc, cum tamen opium alias reſpirationem reddat difficiliorem? hoc ultimum fit ſolummodo in corpore ſanguine pleno, robuſtoque. At ubi copia humorum deficit, opium eosdem rarefaciendo debitam inter ſolida & fluida proportionem reſtituit, & tunc etiam *expectorans* evadit) Sudores a longo tempore nulli prorſus, licet ii & morbo & opio familiares ſint. Ratio videtur, cutis in ægro contracta, aſpera, ob deleta ſcilicet extrema vascula.

Sputa pauciſſima, at diarrhæa fœcum viridium (aſparagos & ſpinachiam comedit) pus item copioſum & meracum alvo abit frequentiſſime. Applicabatur cataplasma ex abſynthio, nucibus muſchatis in vino rubro & tokaino ad abdomen; redit tunc ſputum & diarrhæa ceſſavit. Redeunte ſputo etiam facies detumuit. Musculi nulli, cutis arida, aſperaque, præcipue in pedibus. Auriculæ contractæ, non item ungues; fauces ſiccæ. Appetitus. Vox bona, non rauca. In omnem partem facile cubat.

Die 1. Maii.

Hodie ſæpiſſime pus, ſed cum magno fœtore, borborygmis & flatibus alvo abit.

Spu-

Sputa paucissima. Levior respiratio; quam heri.

Die 3. Maii.

Sputa nulla, sedes ordinaria & compacta, at frequens per alvum puris secessus. Per duos dies nullus paroxysmus.

Sputorum color die 29. April. & circa illos dies fuit ex flavo viridescens levissime; potissimum ex albo flava; admixtis quibusdam cinericeis.

Die 4. Maii.

Priori nocte nil per expectorationem, nilque puris per secessum abivit. Hinc tussis, & nullus ea nocte somnus, respiratio difficilior. Debilitas major. Mane hujus diei redeunte sputo & pure per alvum abeunte; vivacior est, & facilius spirat. Sedes bona & semel per 24 horas. Hodie non potest lateri dextro incumbere ob metum suffocationis. Urinam frequentissime mittit, color sanorum instar in urina. Fœtor sputorum. Tumor pedum minuitur.

Die 5. Maii.

Hodie usque ad quartam pomeridianam nec sputa, nec pus per secessum abiit; hinc a meridie pessime habuit. Post horam loquela erat deperdita; anxietas agonizantis; frigus crurum, manuumque. Strepitus in pec-

tore. Pannis calidis ad pedes & manus adplicatis, sumpto calido infuso veronicæ; rediit puris per alvum secessus, & restituta loquela est; meliuscule habuit, at summa debilitas, circa vesperam calorem manus meæ modice calentis non poterat ferre. Crura manusque frigebant, & tamen ait se modicos calores habere. Tertio quadrante pro 11ma noctis sibi bene per omnia esse ait, se facillime respirare, seque velle modice dormire. Obdormivit cum respiratione tamen strepente, & circa mediam duodecimam dormiens obiit, intentis enim continuo omnium oculis, semel non amplius spirare observabatur; ægrotavit circiter per 10 menses.

HISTORIA V.

Continua remittens.

Thomas O***. annorum 26, ante quinque annos acute decubuit; septennis adhuc acutum morbum passus est. In morbo acuto ante quinque annos hæmorrhagiæ narium copiosæ fuerunt, quas tamen alias nunquam habuit. Ante duos annos quotidianam febrim habuit per mensem, curatus tunc est a quodam medico. Post sex menses tertianam accepit per tres menses durantem, curatam postmodum a chirurgo. Per quatuor

sep-

ſeptimanas liber a febre fuit. Sed facta tunc venæ ſectione rediit tertiana, quæ ſeſe in quartanam mutavit, hac ratione, ut quarto & quinto die veſperi rediret paroxysmus, dein octavo & nono, ita per menſem, ac ſi fuiſſet quintana duplicata. Paroxysmi & tempore & modo invadendi ſibi invicem, & ſibi ipſis diſſimiles fuere. Semper tamen pomeridiano tempore fuerunt hi paroxysmi. Curata hæc febris eſt cortice, cujus tamen uſum emanente paroxysmo neglexit.

In omni febre proſtratum appetitum habuit, at ſumpto in hac ultima febre cortice reſtitutus eſt appetitus absque alio medicamento. Per duos menſes liber a febre fuit; at poſtea rediit omni quarto die admonitio major minorve.

Die 14. Octobr.

Major alteratio quartanæ. Somnus bonus.

Die 15. Octobr.

Ex itinere redux ſenſit calores cum intermixtis frigoribus. Somnus parumper inquietus.

Die 16. Octobr.

Eadem, ſed aucta. Paucus ſomnus.

Die 17. Octobr.

Eadem, ut pridie. Circa quartam pomeridianam paroxysmus quartanæ cum pau-

co frigore, calores magni. Vix aliquis somnus.

Die 18. *Octobr.*

Pergunt calores. Mane vomuit materiam paucam, amaram, flavescentem, mucosam, uti etiam vesperi. Noctu circa nonam vocatus veni. Pulsus celer, calores. Modice vero retectus horruit. Alvus per triduum nulla. Hoc die leve stillicidium sanguinis per nares. Dato clysmate alvus soluta est dura, parum minuti calores. Somnus paulo melior, quam pridie. Dolor lumborum, artuumque.

Die 19. *Octobr.*

Calores pergunt. Mane vomuit, uti pridie. Bibit omni hora vasculum seri lactis, succo citri parati. Ad vesperam levis vomitus; calores valde aucti, nullus somnus, & incipiens delirium. Duae per noctem sedes.

Die 20. *Octobr.*

Mane circa sextam stillicidium sanguinis per nares; circa octavam matutinam venae sectio larga. Calores minuuntur; circa vesperam nullus paroxysmus quartanae, calores nulli, aut vix ulli. Circa quartam pomeridianam leve stillicidium sanguinis per nares. Somnus bonus. Sudavit per noctem

ita,

ita, ut indusium debuerit mutare. Sudor fœtidus.

Die 21. Octobr.

Calores nulli. Sitis. Vix aliqua in pulsu celeritas. Ab hora septima ad octavam vesperi leve frigus, dein calores, moderati tamen; paucus somnus, levis dolor capitis.

Die 22. Octob.

Dolor capitis pergit. Circa undecimam antémeridianam apyrexia. Vesperi circa octavam levissimum frigus per aliquot minuta cum pulsu celeriori. Somnus bonus. Hac die cortex dari incœpit.

Die 23. Octobr.

Mane calores modici, uti heri vesperi sub paroxysmo. Pulsus itidem adhuc celerior, uti heri vesperi. Noctu somnus, sed insomniis turbatus. Sudavit per noctem, (fors ob stragula, quæ hac nocte prima vice hyemalia fuerunt) sudor fœtidus. Nulla alvus.

Die 24. Octob.

Mane pulsus minus celer. Urina ex fusco-rubra (braunroth) hucusque brevi jumentosa evadit, nil deponit. Utitur hodie decocto graminis, taraxaci, lapathi acuti & cortice. Pulsus circa meridiem bonus, qui talis permansit tota die. Circa vesperam

urina sedimentum posuit copiosum album. (Est dies morbi nonus, quo judicium, saltem partiale per urinas factum est) Nox bona, quam totam tamen dormiendo non transegit, fors ob calorem cubiculi prima vice ad noctem calefacti, fors ideo, quia toto tempore decubuit, quin vel pauxillum extra lectum esset. Alvus semel.

Die 25. Octobr.

Pulsus bonus. Urinæ minus rubræ, cito turbantur, sed imperfecte deposuerunt. Nulla alvus.

Die 26. Octobr.

Extra lectum tota die. Urinæ colorem acquirunt magis naturalem. Alvus semel. De nocte paucus somnus. Hac die a meridie, postquam mecum ad eandem mensam pransus esset, discessi.

Die 27. & 28. Octobr.

Bene per omnia se habuit; at cum uxor ad vesperam die 28vo domo per aliquot horas abfuisset, illa redeunte, adventante nocte de dolore colico, levi tamen conqueri cœpit. Noctu paucus somnus, dolorque perseveravit. Mane vomiturivit, vomuitque; ad me misit, sed cum domi non essem, remque ideo serius intellexissem, primum

die 31. *Octobr.*

mane circa feptimam aderam, ubi fequentia intellexi: Medicum Barfenfem heri vefpere fero vocatum advenifle, dediffe ægroto guttas fpirituofas, eique fuafiffe, ut pocellum ex rofoli fumat; at ægrotum medico ita fuadenti non obediviffe. Dediffe dein ea ipfa vefperi infufum foliorum fennæ, inde vomuiffe fæpius, & quinquies dejeciffe. Mane circa fextam ultima vice vomuit, dejecitque; a triduo nullam alvum habuiffe. Cum advenirem, invenieram ægrum fefe jactitantem in lecto, clamantem de dolore colico; pulfus durus, fubinde valde celer, fæpe tardus naturaliter, aut etiam tardior naturali. Feci circa decimam ante meridie venæ fectionem ℥xij. Cataplasmata ex malva recente ad totum abdomen, potus ex radice altheæ, enema oleofum. Aderat continuus tenesmus. Dolor *fixus*, atrox, abdomen molle. Clysmata oleofa ftatim rejecta funt ob continuum tenesmum. Dolor vix, aut non mitigatus. Vefperi altera venæ fectio ℥xvj, deinde omni dimidia hora granum opii cum lapidibus cancrorum tritum. Poft grana quatuor aliqua quies, dolorque levior, per intervalla folum redeuns, fic noctem, & tempus antemeridianum diei

1. *Nov.*

transegit, dormivit aliquoties tempore hoc antemeridiano; circa meridiem dolor nullus, aut vix ullus. A meridie etiam commode ſe habuit. Ad veſperam rediit dolor continuus, cum dolorifico inteſtinorum motu. Datis quatuor granis opii ſucceſſive, lenitus dolor eſt, ceſſavit motus inteſtinorum. Dedi ſuppoſitorium ex ſapone domeſtico. Nox inſomnis fere tota. Manſit ſuppoſitorium absque effectu. Circa ſecundam matutinam de nocte

Die 2. Nov.

cum alvus hucusque nulla prodiiſſet, materia tamen ſufficientem, flatusque copioſos adeſſe ſuſpicarer, juſſi dari clysma ſtimulans ex ſapone domeſtico ſoluto, & ſale. Prodiit brevi poſtea clysma cum ſuppoſitorio. Datum alterum clysma ſtimulans, excidit etiam illud absque effectu. Circa meridiem hujus diei (2. Nov.) alvus liquida ſpontanea. Dolor toto hoc matutino tempore continuus, ſed ut mihi videtur, minor tamen paullo, quam die 30ma Octobris; pulſus celer valde & durus, urina ruberrima, quæ aut manſit talis, aut jumentoſa facta imperfecte aut omnino non depoſuit. Circa mediam primam pomeridianam venæ ſectio ℥xv.

Pul-

Pulſus paulum liberior, minus durus poſt venæ ſectionem. Dolor fere idem continuus, teneſmus ad alvum deponendam, & ad matulam, ut etiam pridie, ſed dato opio urina ſponte prodiit aliquoties; poſt mediam noctem datum clysma oleoſum ob dolorem novum exortum, manſit circiter per trihorium in corpore; nullo autem ſecuto lenimine datum clysma ſtimulantius ſolito; prodiit alvus copioſa, diluta.

Die 3. Nov.

Tempore antemeridiano dolor per vices redeuns, ſubinde atrox. Idem etiam veſperi contigit; datum eſt mane & veſperi opium. Dato veſperi opio dolor minuebatur, pulſus mollior factus, transpiratio aucta eſt, urina, quæ antea parce & cum teneſmo continuo prodiit, liberior, copioſiorque & freqnentius prodiit. Somnus fere tota nocte.

Die 4. Nov.

Mane dolor auctus, cum ſenſu flatuum perambulantium dolorifico. Datum primo eſt clysma oleoſum, quod alvum bonam, coctam, partim liquidam, partim mediocriter conſiſtentem prolicuit. Dolor fere idem, idem flatuum ſenſus: datum ergo ſtimulans clysma eſt, prodiit alvus, ut antea, ſed

co-

copiosior, lenimen inde secutum, sed paucum, cito disparens. Duobus granis opii per vices datis siluit parumper dolor. Sumsit juscula pullina, & decoctum hordei pauxillo citri succo & saccharo gratius redditam. Heri dato opio urina missa est, quæ intra $\frac{1}{4}$ horam sedimentum *purulentum* vel potius *serum sanguinis puriforme*, quale expectorari in morbis pectoris solet, deposuit. Hac nocte urina frequens copiosa, sed magis rubra, quæ subinde eneorema subsidens, globosum; subinde vero sedimentum album leviter rubescens deposuit. Pulsus hodie mane celer, durus, dato opio mollior, tardiorque factus est. Multæ regulæ ex toto decursu in praxi desumi possunt.

Regulæ practicæ.

1) Evacuationes in continuis remittentibus faciendæ sunt *plures*. *Acuta concomitans intermittentem* majorem attentionem requirit, quam adjuncta *intermittens*.

2) Serum lactis, aut acidiuscula decocta *copiose* bibenda, scilicet omni hora, omni media hora vasculum. Prolonganda hæc methodus est etiam in reconvalescentibus.

3) *Febris continua remittens* ex pulsu non febrili mentitur *intermittentem*. At vigiliæ, lassitudo, inappetentia &c. docent præsentiam morbi acuti. Fors sæpe deci-

piun-

piuntur medici, & febrim continuam remittentem perverſe tractant, dando ea, quæ alias in *intermittente* dari ſolent. Fors hæc etiam una ex illis rationibus eſt, quæ corticem peruvianum infamem reddidit, quia absque adjuncta cura antiphlogiſtica datus eſt in continuis *remittentibus*, *intermittentem* mentientibus.

4) Colica inflammatoria ſedulo ab aliis diſtingui debet. Quodſi tamen non ſtatim poſſit, juvabit ſemper etiam contra rationem temperamenti venæ ſectionem facere & dare clysma primo oleoſum, deinde ſtimulans; cataplasmata emollientia, & dein opium. Methodus hæc *curatoria* eſt in colica inflammatoria, in aliis vero colicis & *curatoria* & *præſervatoria*, quatenus inflammatio præcavetur.

5. Uſus opii ſumme neceſſarius ob ſpasmos inflammationi junctos, doloris atrocitatem, vomitum, tenesmum, impeditas excretiones urinæ & alvi, modo cura ſumme antiphlogiſtica ſimul adhibeatur.

Purgans in inteſtinis inflammationi non convenit, ſed alvus ſolvenda clysmate, potu oleoſo & opio ſpasmos ſopiente. Purgans antiphlogiſtum his nil proficientibus dari debet; ſed diu non exſpectandum.

Ordo

Ordo autem medicamentorum ſequens ſit. Clysma, venæ ſectio, opium, potus oleoſus, ſive decoctum altheæ, cataplasma ad abdomen; ſi alvus non ſtatim acri clysmate ſequatur, detur clysma cum fumo nicotianæ: hoc nil proficiente detur purgans antiphlogiſticum.

6) Si alvus fiat immorigera in decurſu morbi, non purgante, ſed mitiori modo ſollicitanda. Sæpe alvi & urinæ ſuppreſſio ob tenesmum, hinc opium utrumque promovet. Sæpe ob atrocitatem doloris niſum in expellenda urina aut alvo æger exercere non poteſt: in hoc caſu prius ſedandus opio dolor eſt, & dein clysma acre adplicandum.

Hodie (die 4. Nov.) paucus dolor, pulſus fortis plenus. Urina una ruberrima, absque eneoremate, alia paulo minus rubra cum eneoremate ſubſidente, globoſo, alia cum eneoremate ſubſidente, non globoſo. Veſperi ob pulſum durum venæ ſectio in pede. Urina minus rubra, cito jumentoſa nil depoſuit. Dolor colicus recrudeſcens; flatus & borborygmi ad noctem; datum hinc granum opii circa ſextam, & poſtmodum clysma ſtimulans. Prodiit parum fæcum liquidarum. Quies per horam circiter. Denuo borborygmi & flatus, denuoque datum

eſt

est granum opii. Nox bona, somnus. Circa auroram urina missa cito jumentosa facta est, & imperfecte deposuit. Uti etiam circa septimam. NB. Omnes ferme urinæ, quæ jumentosæ fiunt, pinguedinem quasi mnltam lateri vasis adplicant. Sedimentum quasi *purulentum*, paucis particulis lateritiis mixtum. Heri ad noctem urina jumentosa facta prorsus nil deposuit, sed urinam in fundo limpidam, paucamque reliquit. Circa horam nonam antemeridianam dolor denuo ortus, jactitatio, pulsus celer, dato grano opii siluit, inde quies. Dedi simul potum ex decocto altheæ cum oleo amygdalarum & enema oleosum.

Examinavi abdomen hodie tempore dolorum. Erat abdomen molle, collapsum, ad attactum etiam rudiorem nullibi dolens. Dolores dixit esse circa umbilicum, qui deinde per pubem ad penem usque propagatur, cum tenesmo ad matulam subinde. Dolor hic tamen, ut dixi, per attactum non augetur. Dolor hic est *urens*, *fixus*, qui tamen accessorium habet alium dolorem cum borborygmis perambulantem abdomen. Abdomen si tangatur, audiuntur borborygmi.

NB. Inflammationem adesse topicam patet, opinor, ex dolore *fixo*, *atroci*, *febre*

acu-

acuta conjuncta. Sedes inflammationis vel in inteſtinis tenuibus, vel eorum meſenterio. Veſicæ urinariæ affectio ob conſenſum explicari poteſt. At quia ad noctem diei 3. Nov. urina miſſa, quæ intra ¼ horam, imo citius perfectum pus depoſuit, ipſaque limpida permanſit, ſuſpicor, pus hoc eſſe in veſica poſt inflammationem ſuppurata. Suſpicor pariter factas eſſe alibi etiam ſuppurationes, & ob intimiorem puris cum urina mixtionem imperfecte tantum & ſero deponi pus cum urina prodeuns. De illa urina purulenta ad noctem diei tertiæ Novemb. miſſa, quæ tam cito, tamque perfecte pus omni nota verum depoſuit, æger affirmavit, eam cum ſtranguria miſſam eſſe.

Die 5. Nov.

Urinæ cum eneoremate ſubſidente, minus continuæ rubræ mane & veſpere; ob dolores a flatibus vagis, concluſisque excitatos granum opii. Dolor ille fixus & urens obtuſior erat hodie, quam prioribus diebus. Ad noctem urina una poſuit ſedimentum albeſcens cum granulis paucis lateritiis.

Die 6. Nov.

Die morbi nona urina mane valde rubra. Deinde minus rubræ, plures, ſed pauca ſemper quantitate ſequebantur, omnes

cum

cum eneoremate subsidente, præter unam, quæ sedimentum illud consuetum habuit. Circa meridiem orti dolores denuo sunt a flatibus vagis, conclusisque, qui tamen subinde *κατω* & *ανω* abivere. Pulsus heri uti & hodie modice celer. Datum a prandio est granum opii, & emplastrum ad umbilicum ex theriaca Andromachi & laudano liquido Sydenhami. Secuta quies, & ad vesperam urina frequens, copiosaque colore sanorum. Somnus paucus priori nocte, fors quia a matre tussiente continuo excitabatur. Heri & hodie *copiose* bibit decoctum hordei cum succo citri & saccharo.

Potus hi *copiosi acescentes* cum *debitis evacuationibus* omnem absolvunt fere paginam in acutis.

In hoc acuto morbo fors inflammatio adfuit, fors irritatio a materia prioris morbi non penitus evacuata, id quod suspicor, cum emanente licet febre priori, & sanitate ad speciem bona, tamen urinæ sedimentum adhuc posuere & coloris erant magis exaltati.

Die 7. Nov.

Mane ardor fixus in regione umbilicali.

Die 8. Nov.

Major ardor, protensus versus inguina.

Die 9. *Nov.*

Minor ardor.

Die 10. *Nov.*

Vix ullus ardor.

Die 11. *Nov.*

Flatus dolentes. Urina his diebus flammea. Ad vefperam urina potus. Pulfus celer & fortis femper. Somnus nullus aut vix ullus. Datum eft ad leniendos dolores opium, duo per diem grana.

Die 12. *Nov.*

Vefperi hujus diei frequens digitorum convulfio. Ambulavit adhuc folus circa fextam vefpertinam per cubiculum, præfente licet digitorum convulfione, qua durante frequens fimul mictus urinæ limpidæ & paucæ aderat, fignum fcilicet delirii futuri. Vesicantia ad manus non erant, alias ftatim fuiffent adpofita, circa octavam vefpertinam fubdeliravit, circa decimam deliravit, clamavit, feque jactitavit. Pulfus celerrimus, durus. Circa duodecimam noctis venæ fectio in pede & epispaftica. Sæpe meam & adftantium manum apprehendit, eam abdomini admovit, loco fcilicet illo, qui antea doluit. Ipfe etiam folus fæpe eundem locum tetigit. Quietior deinde factus eft, at mente captus manfit.

Die

Die 13. *Nov.*

Circa meridiem alvus ſpontanea, copioſiſſima, pultacea, cocta, cum urina copioſiſſima, crocea, odoris non volatilis, aut urinoſi, ſed fœtiduli, dulceſcentis, quam, ſed colore profundiore, aliquoties eo die emiſit. Veſperi acquiſivi veſicantia; at uxor ejus non permiſit adplicare. Hinc allium ad ſuras adplicui; a meridie major quies, minor mentis alienatio, indolentia, ſingultus ſæpe rediens, quem vino calido ad pectus continuo applicato ſedavi. Semel vomuit, at videre non potui, quæ vomitu rejecerit. Frigus artuum, frontisque frigidus. Pulſus celer & debilis, eodem vino calido ad pectus adplicato excitatus. Ad veſperam rediit ad ſe. Datum eſt decoctum corticis; qua cardiacum & antiſepticum. Noctu ſomnus nullus. Quies; plena ſui conſcientia. Pulſus inſurgens.

Die 14. *Nov.*

Pulſus heſterno celerior, mollis; alvus mane cocta. Urina flammea, parca. Circa veſperam leve delirium ſubinde. Terror matronarum ad noctem ob quietem ægroti, ejusque debilitatem, quaſi de jamjam ſecutura morte. At *reſpiratio bona*, *transpiratio univerſalis*, & *humidus vapor*, *pulſus*

aequalis non debilior priore, longe alia mihi indicabant. Omni trihorio vasculum decocti corticis, una cum potu refrigerante copioso, ob pulsum ad vesperam multo celeriorem, pleniorem & aestum corporis. De nocte in cubiculo obscurato per intervalla dormivit, sed parum; pulsus valde celer, aestus, stillicidium narium per noctem. Mane urina rubicunda, flammea, alboque eneoremate.

Die 15. *Nov.*

Mane denuo stillicidium, pulsus minus celer, mollisque, mentis praesentia. Dolor in motu corporis circa colon transversum. Somnus de die bonus, cum rhonchis subinde, per intervalla. Respiratio bona. Omni triborio vasculum decocti corticis. A meridie lene delirium subinde, circa vesperam continua mentis praesentia, de omnium artuum dedolatione queritur. Nullus capitis dolor. Alvus enemate leniter stimulante sollicitata bona, sed compacta. Urina minus rufa, absque eneoremate. Pulsus paulo minus celer, mollis, & (uti toto morbi tempore) aequalis. Somnus multus, saepe cum rhonchis; noctu somnus, sed interruptus.

Die

Die 16. Nov.

Urina minus ruffa, quam heri, pulſus æque celer ac heri, at minus mollis. Circa meridiem calor corporis ad attactum ſiccus, nulla toto tempore ſitis, nullus capitis dolor toto tempore. Circa veſperam pulſus mollior, ſed celerior. Subinde a meridie ſomnus. Alvus nulla. Transpiratio. Reſpiratio ſemper bona. Noctu ſomnus multus, ſubinde interruptus.

Die 17. Nov.

Urinæ mane paulo magis coloratæ quam heri. Pulſus valde mollis, & æque celer ac heri veſpere, reſpiratio bona. Cutis humida. Mane ob defectum alvi clysma, quod ſtatim reddidit cum unico ſcybalo duro & perexiguo. Dolor abdominis vix ullus, & ſolum in motu corporis. Raro per diem dormivit. Urinæ a meridie minus coloratæ. Veſperi pulſus matutino modice celerior, at mollis & debilis; calores, qui tota die nulli fuere, ad veſperam aderant modici. Ad noctem exiguum ſtillicidium. Somnus multus & bonus, qualis hucusque non fuit.

Die 18. Nov.

Mane urina ruffa denuo, fere ſanguinea. Pulſus ut heri veſperi. Levia tormina. Nulla alvus, clysma oleoſum cum leni ſti-

mulo. Datum etiam eſt decoctum herbarum emollientium cum melle & oleo lini. Calores nulli. Circa undecimam antemeridianam alvus ſpontanea, cocta, copioſa.

Hac die diſceſſi. At ipſe ægrotus factus illi ſuccurrere amplius non potui. Sed audivi, eum brevi appetitu recuperato, datoque duas circiter ſeptimanas medicamento quodam roborante, ad priorem rediiſſe ſanitatem.

HISTORIA VI.

Die 3. *Jan.* 1773.

Continua remittens cum ſputis puriformibus.

Joſeph M***. faber ferrarius levenſis, annorum 48 circa feſtum S. Jacobi, orto ex fulmine incendio, immani ſeſe labore defatigavit ſudavitque, at imbribus inſecutis totus madefiebat.

Die 4. *Jan.*

Dolor capitis, horripilationes, calores. Secuta tunc febris eſt, cujus paroxysmi absque frigore & calore, ſed obtuſis ſenſibus externis, internisque, minuto ſcilicet viſu, audituque & ablata fere omni ſui præſentia, reſpirationeque difficili abſolvebantur. Venit autem paroxysmus circa octavam matutinam quotidie. Ante quinque ſeptimanas pa-

paroxysmus iſte conſuetus emanſit, venit autem alius cum frigore & diuturno calore ſed non eadem hora, verum circa noctem.

Die 5. Jan.

Ingens dolor punctorius in hypochondrio ſiniſtro per quatuor horas. Sumpto oleo communi conticuit dolor; at tunc ſtatim ceſſante dolore venit ſputum primo difficile, dein facilius, album, viride, flavum, cinericeum (quod ultimum absque tuſſi venit). Raro dormivit, modo tamen paulo melius dormit. Mane circa meridiem, & ad noctem plus tuſſit, plusque ſputorum ejicit. Sputum illud cinereum copioſe absque tuſſi, pleno ore, quaſi ex lagena effudit. Reſpiratio difficilis valde, odoris ſubinde proprie ſulphurei. Sentit ſubinde aliquid ex hypochondrio ſiniſtro aſcendere & tunc ſputum fœtidum ejicit.

℞. Spec. dialtheæ ℔j.

D. U. diviſa in part. IV. Singulas coquat cum menſuræ aquæ per horam, bibat pro potu ordinario cum media parte lactis.

℞. Specierum herb. pectoral. ℔β.
Flor. verbasc.
— — Rhœad.
Herb. ſalviæ āā Mj.
Glycyrrhiz. ℥iij.

C. C. D. U. divisa in part. IV. Singulam coquat per horam cum libris duab. aquae. Quater de die bibat vasculum hujus decocti *fervide* cum vasculo lactis. Singulo autem vasculo addat duo cochlearia coffeana sequentis:

℞. Gummi tragac. v. o. s. ℥j.
Spermat. ceti ℥ß.
Syrup. diacod.
— — Rhœad āā ℥iv.
M. D. Usui.

Dormit bene modo, vires augentur sputum facillimum & minus modo continuo, cum levamine pectoris. Repetita priora sunt.

HISTORIA VII.

Diarrhœa a debilitate intestinorum.

O***. puer 2½ annorum. A sex septimanis febris tertiana. Paroxysmi a meridie. Lene frigus, calores modici. Habuit simul diarrhæam, ubi sæpe indigesta abiverunt, per quatuor septimanas. Semel excrevit lumbricum. Induratio lienis. Primis quatuor septimanis non advertebatur a matre febris tertiana, sed sola diarrhæa cum induratione; dedi ergo tunc solum aperientia cum multis amaricantibus. Cessavit diarrhæa; at febris, quæ ex relatione nutricis jam dudum ad-

aderat, perrexit. Abdomen durum, tumidum. Dedi ergo ſequentia:

℞. Sem. ſanton. ℥ij.
Extracti corticis peruviani ʒvj.
——— rhei ʒß.
Pulver. radic. valerian. ſilv.
Corallin. āā ʒjß.
Corn. cervi ſpagyric. ppt.
Vitriol. martis āā ſcr. I.
Pulver. hieræ picræ ʒjß.
Syrup. arthemiſ. q. ſ.

M. f. electuar. Sumat omni mane cochlear coffeanum. Si autem non purgetur, ſumat duo, aut etiam tria.

Abdomen tumidum.

Diarrhæa ceſſavit, puer benevaluit.

Die 25. Febr.

At modo jam a ſeptimana diarrhæam denuo habet, alvus aquoſa; ſi diarrhæa ceſſet, aut ſaltem mitior ſit, tunc abdomen tumidum eſt, & durum, adſuntque ructus, borborygmi. Calet, ſitit. Subinde inteſtinum rectum prolabitur. Puer flaccidus, emaciatus.

NB. Adeſt inteſtinorum debilitas, inhalantium vaſorum, glandularumque obſtructio, & exhalantium laxitas. Proderunt aperientia, amaricantia, addito pauxillo rhei, & abſorbentibus.

℞. Syrup. fumar. ℥jv.
Extract. cort. peruv. ℥iij.
——— fumar. ʒij.
——— rhei scr. j.
Lapid. cancr. ʒjβ.
Elix. propriet. f. a. parat. ʒj.
M. f. elect. quater de die duo parva cochlearia.

Die 6. Mart.

Non purgatur amplius; abdomen tumet, pedes & facies subinde modicissime tument. Pergat in usu priorum, & simul frictiones cum fumo juniperi adhibeantur.

Die 12. Mart.

Absumptis medicamentis & per aliquot dies omissis, rediit diarrhæa aquosa. Aqua albescens abit. Emaciatur. Labia alba. Facies & pedes modice tument. Sæpe non appetit. Interdixi usum carnium. Vescatur hordeo, oryza in lacte vel jusculo carnium bene cocta. Ter, quater & quinquies per diem laxatur.

℞. Syrup. absynth. ℥iij.
Extract. absynth.
——— Gentian.
——— Cortic. peruvian. āā ʒij.
Rhei tosti ʒβ.

Li-

Limatur. ferri non rubig. ſcrup. ij.
Elixir. propriet. dulc. ʒj.

M. D. U. quater de die ſumat duo cochlearia coffeana. Fricetur totum corpus ſumo juniperino, & ſi inteſtinum prolabatur, conſpergatur pulvere ſacchari, vel admittatur fumus aromaticus, ſed *a longe.*

Die 19. *Mart.*

Pedes ut facies minus tument. Alacrior & robuſtior eſt. Labia, & canthi oculorum, antea pallidi, modo denuo læte rubeſcere incipiunt.

℞. Syrup. abſynth. ℥v.
Extract. corticis peruvian.
——— gentian.
——— abſynth. āā ℥β.
Limatur. ferri non rubiginoſ.
Elix. propriet. dulc. āā ʒij.

M. f. electuar. quater de die duo parva cochlearia ſumat.

Die 26. *Mart.*

Coloratiora labia; vegetus magis eſt. Pedes minus tument. Nil appetit, præter carnem aſſatam.

℞. Syrupi abſynth. ℥viij.
Extract. gent.
——— cort. peruv.
——— abſynth. āā ℥j.

Li-

Limatur. ferri non rubigin.
Elix. propr. dulc. āā ℥β.
M. quater de die tria parva cochlearia.

Puer bene valet, abdomen tamen tumet. Sedes difficilis.

℞. Tinct. rhei aquos. ℥jβ.
Elix. prop. dulc. ℥β. M.

His diu adhibitis abdomen detumuit, & puer penitus convaluit.

HISTORIA VIII.

Arthritis vaga, visceribus abdominis obstructis.

Domina de F***. 42 annorum flatibus vexatur, subinde ructibus acidis. Dolor lumborum, dorsi, intra scapulas, nuchæ, subinde capitis. Dolet ad regionem lobi dextri hepatis jam inde ab aliquot annis, ex quo scilicet proles parere incœpit. Locus hic secundum ductum hujus lobi subinde intumescit cum majori dolore. Alvus inordinata, sæpius diarrhæica, rarius constipata. Dolore pedum, eorumque tumore subinde non hydropico, item articulorum doloribus vexatur. Pedes nunquam illi sudant, uti & reliquum corpus; frigere sibi continuo totum corpus, præprimis vero ventriculum & pedes ait. Dolor coxendicis & abdomiminis fere continuus. Decies peperit, ultima

tima vice ante 10 menſes. Modo gravida non eſt. Menſtruatio difficilis, parva ante, in & poſt menſtruationem febricitat. Poſt menſtrua fluor albus, non excorians. Ante aliquot annos per biennium diarrhæa laboravit. Habuit patrem morbis articulorum vexatum. Color faciei bilioſus. Melancholica. Ait, ſe olim multum fuiſſe hyſtericam; bis olim abortum paſſa eſt.

℞. Saponis venet. unc. 1.
Caſtorei
Gummi aſæ fœtid. āā ſcrup. 1.
Balſam. peruv. q. ſ.

M. f. pil. gr. iv. Sumat quater de die pilulas tres. Inſtantibus autem menſtruis ſumat quater per diem duo vascula calidi infuſi florum chamomillæ, & utatur balneo crurum, adjectis cineribus.

Die 26. Januar.

Appetitum nuper perditum iterum accepit. Ceterum iidem dolores, attamen parumper diminuti.

Die 4. Mart.

Bene habuit a pilulis.

HISTORIA IX.

Phthisis post hæmoptoen.

Dom. A***. 33 annorum. Ante quinque annos equo raptatus, pectus afflixit; inde difficilis respiratio, magis semper magisque. Ante duos annos sputum sanguinis, prægressa in curru agitatione. Post duas septimanas in venatione rediit sputum. Post sex menses ex agitatione in curru tertium sputum, attamen semper paucum fuit. Inde sæpius sputa striata. Somnus bonus. Mane major oppressio pectoris & tussis; sputa, uti in catarrho cocta esse solent; nil purulenti. Ultimo Novembri quarta vice sputum sanguinis in venatione. A Novembri incipit viribus deficere. Appetitus paulo minor ex illo tempore. Sitis nulla; amator vini & venationis. Non horret, non calet, a pastu non gravatur, noctu non sudat; Emaciatur. Pulsus semper naturali celerior. Maxime debilitatur, & magis quam antea ex των αφροδισιων. Inde etiam impotentiam quandam & debilitatem lumborum ac dorsi sentit. Dolore quidem ischiadico dudum laborat, ex onere nimio in altum sublato. Homo staturæ altæ, collum gracile. Vox sæpe rauca. Respiratio in incessu, præcipue vero in ascensu, brevis.

3. Ex-

℞. Extract. cort. peruv. 1 dr.
Sapon. venet.
Mastich.
Oliban. āā 2 dr.
Therebinth. q. s.

M. f. pil. gr. iv. Quater de die sumat tres, superbibendo vasculum decocti sequentis, mixtum cum vasculo lactis recentis.

℞. Specier. dialth. ℔β.
Flor. rhœad.
—— Verbasc. āā Miij.
Glycyrrhiz. ℥iij.

C. C. div. in p. IV. Singulam infundat per horam cum aquæ fontaneæ ferventis libris quinque, momento coquat & colet.

Die 4. Martii.

Sputa pauciora, minus flava. Tussis de nocte. Si liberiora sunt sputa, tunc respiratio facilior. Alvus difficilis valde.

℞. Saponis venet. ʒvij.
Gummi ammon. ʒij.
Massæ pilul. Ruffi scr. ij.
Therebinth. q. s.

M. f. pilul. gr. IV. Quater de die tres sumat.

℞. Specierum herbar. pector. ℔β.
Florum verbasci
—— Rhœad. āā Mj.

Ra-

Radic. Glycirrh.
— — Fœniculi āā ℥iij.

C. C. D. U. div. in part. IV. ſingulam per horam infundat cum aquæ ℔jv. Sumat ut antea.

Die 5. Martii.

Caput & pectus levius, at vires corporis debiliores. Sumat modo naſturtium in ſero lactis coctum cum pilulis nuper datis. Sedes facilior.

Die 14. Martii.

Naſturtium ſufficiente quantitate haberi nondum poterat. Hinc decocto priori & pilulis uſus eſt. A pilulis alvus laxa, ter quaterve per diem mota. Pectus & reſpiratio levior, tuſſis minus incommoda. Somnus optimus. Pulſus modice celer, debilitas corporis. Aliquoties poſt decoctum vomuit. De proſtrato appetitu querebatur, attamen ipſum vidi bene comedere. Dedi ſolventia, aperientia &c.

℞. Radic. gramin.
— — taraxac.
— — ſcorzoner.
— — lapath. acut. āā ℥j.
Herbæ trifolii fibrin.
— — fumariæ āā Mij.
Pulveris cort. peruv. ℥jv.

C.

C. C. d; U. divid. in p. IV. Singulam coque per ſesquihoram cum ℔vj aquæ. Colat fortiter exprimendo. Quater de die bibat duo vascula: ſingulo autem vasculo addat ſemicochlear majus ſequentis.

℞. Oxymell. ſimpl.
Syrup. capillor. vener.
— — de eryſimo.
— — fumariæ āā ℥iij.
M. D. U.

Die 1. *April.*

Nudius tertius, prægreſſa ira; a meridie levis horror cum ſubſequente calore. Noctu ſomnus bonus. Die ſequenti reſpiratio gravis, dolor capitis, calores leviores. Priori nocte aliquot guttæ ſanguinis ex naribus ſtillabant. Nocte vero hac ſubſequente ſomnus interruptus, paucus; phantaſiæ; dolor capitis, pulſus celer, reſpiratio gravis; dolores verſus latus ſiniſtrum. Fiat venæ ſectio in brachio ſiniſtro. Item

℞. Specierum pectoralium ℔ij.
D. U.
℞. Oxymell. ſimplic.
— — — Squillit. āā ℥v.
Stibii diaphor. non ablut. ℥β.
M. D. U. Omni bihorio vasculum infuſi cum ſemicochleari oxymellis.

Die 20. *April.*

Dormit bene, appetitus bonus. Oppressio nulla, respiratio minus brevis, sputa facilia, ex viridi flavescentia; bona tempestate levem motum extra domum facit. Sed voce valde rauca. Utitur continuo sero lactis, cui hederam terrestrem & nasturtium aquaticum incoquit, omni mane hujus decocti per varias vices ℔ij absumit. Pro raucedine lenienda suasi, ut subinde ex sequenti electuario cochlear coffeanum lente deglutiat: scilicet sumitur medium vasculum coffeanum mellis, tantumdem olei cujusdam boni, & vitellus ovi recentis, conquassando fiat linctus.

NB. Sanguisputæ plerumque habent diathesin inflammatoriam in sanguine, necessitas frequentioris venæ sectionis, usus seri lactis, nitrosorum, & herbarum recentium manifesto patet. *Incipiens hæc phthisis* sola venæ sectionem postulat.

HISTORIA X.

Die 16. *Februar.* 1772.

Obstructio hepatis post quartanam.

Frater Vitalis ex venerabili conventu levensi. Quarta Octobri accepit febrim quotidianam. Paroxysmus per duas horas duravit,

tavit, invasit primo circa meridiem, retardavitque per duas semper horas. Febrim hanc habuit per tres septimanas. Curatus est a medico. At post quatuor dies accessit tertiana, durans per tres septimanas; paroxysmus venerat circa quartam pomeridianam. Curatus inde est; sanus fuit per octo dies. Venit tunc quartana per quatuordecim dies; ejus paroxysmus circa vesperam; absque medela evanuit, ita tamen, ut quarto die semper leve frigus per pedes ascendens senserit. Per quatuordecim sanus fuit, tunc autem hepar, lien, ventriculus, pedes tumuerunt. Pedes frictione sanabantur; etiam abdomen subinde tumere incepit leviter. Hepar tumidum ad attactum doleti dedi sequentia:

℞. Sapon. venet.
Extract. fumar.
— — Cichor. āā ʒiij.
Gummi ammoniac. ʒß.
Balsam peruvian. q. s.

M. f. pilul. gr. iv. Sumat quater de die pilulas tres, superbibendo vascula duo sequentis decocti

℞. Rad. tarax. ℥jv.
Fol. fumar.
— Trifol. fibrin. āā Mvj.

C. C. D. U. divisa in part. IV. Singulam partem coquat cum ℔v. aquæ per horam, dein colet fortiter exprimendo.

Die 3. Jan.

Abdomen subinde tumet. Noctu copiosam urinam mittit. Hepar æque, at paulo minus tumet, doletque. Ventriculus subinde tumet, subinde iterum detumescit. Flatu per os emisso melius habet.

Nota. Fricet abdomen bis de die pannis fumo juniperino imbutis.

℞. Sapon. venet. ℥β.
Extract. absynth.
— — Fumar.
— — Cichor. āā ʒiij.
— — Rhei ʒj.
G. Amoniac. ʒβ.
Ol. Still. menth. gutt. vj.
Bals. peruv. q. s.
M. f. pil. gr. iv. Sumat ut ante

℞. Rad. cichor.
— Tarax.
— Lapath. acut. āā ℥j.
Fol. fumar.
— Absynth.
— Trifol. fibrin. āā Mvj.
C. C. D. U. divisa in p. IV. ut supra.

℞. Un-

℞. Unguent. de altheæ ℥iij.
— — — nervin. ℥j.

M. D. U. Hypochondrium dextrum bis de die fricet leniter ante fornacem.

Ex quo *frigide* ſumere cœpit prima vice præſcripti reliquias cum pilulis, ingens appetitus, vigor & vires redierunt.

HISTORIA XI.

Febris tertiana.

Domina M***. annos agens 50, febri tertiana corripitur. Primus paroxysmus ſolo frigore abſolvebatur, diuturno quidem, hora ſeptima veſpertina. Altera die bene ſe habuit, Die tertia mane ad mediam ſeptimam paroxysmus incipit cum diuturno, etſi non valido frigore, conatu vomendi, & dolore, præcipue totius dextri lateris, dolore capitis. Die quarta laſſitudo, caput grave, hebes, aliqua in pulſu celeritas. Die quinta ad mediam ſecundam poſt mediam noctem paroxysmus redit, cum diuturno frigore, attamen corpus non concutiente. Sub frigore dolor lateris quaſi pleuriticus, dolor artuum omnium acutus, ſecans, ſcindens. Vomituritiones continuæ. Succedente frigori calore dolores ceſſarunt. Totus autem paroxysmus duravit per 23 horas.

 Dedi

Dedi ſtatim a paroxysmo corticis peruviani ℥jβ in ſubſtantia per 24 horas. Dein per alias 24 horas dedi unciam unam ejusdem corticis. Dein unciam ſemiſſem. Demum ſingulis diebus mane & veſpere ſcrupulos duos. Appetitus proſtratus erat adhuc die decima ab ultimo paroxysmo. Urina die decima ab ultimo paroxysmo habuit ſedimentum album; non amplius erat rubra, ſed coloris naturalis. Alvus ſub febri & usque ad diem octavam ab ultimo paroxysmo enemate ſollicitanda erat. Urinæ difficultas, ſive potius paucitas, alvus inconſtans, plerumque tamen difficilis, cum incremento abdominis, jam per novem menſes adfuit. at alvus modo nulla, urina longe parcior. Hinc juſſi, ut bibat infuſum baccarum juniperi; dedit præterea chirurgus illi aliquoties gr. xv. baccarum juniperi contuſarum, inde urina mota eſt. Cauſſam putabat hæc domina febris excitatæ eſſe ceraſa comeſta eodem die, quo primus paroxysmus advertebatur.

Pulſus die decimo naturalis, fortior quam prioribus diebus. Sæpius intermittentibus febribus laboravit.

NB. Febris hæc accelerato nimium paroxysmo habitura fuiſſet exacerbationes *die pari*,

pari, omine utique malo. Secundo patet, febrim omnes æmulari morbos poſſe, pro ratione ſcilicet partis, quam afficit, in artubus excitaverat ſæviſſimos dolores arthriticos, in latere dolorem pleuriticum, in capite cephalalgiam. Quid mirum, ſi in ventriculo affectionem producat eidem convenientem, ſcilicet, vomituritionem, nauſeam, vomitum? an ergo per hunc in paroxysmo vomendi conatum emetica indicantur? Certe non, uti in paſſione hyſterica latus afficiente doloribus quaſi pleuriticis, ventriculum vomitu, non indicatur cura antiphlogiſtica, aut vomitoria; ita id quoque fit in iisdem ſymptomatibus a febrili paroxysmo excitatis. Male ergo ſæpe præſcribimus emeticum in intermittentibus, male etiam conjungimus corticem cum purgante, niſi id expoſcat alvus nimium & diu pertinax. Nunquam peperit. Domina hæc decimo quarto ætatis anno ſub ipſa intermittente tertiana prima menſtrua accepit. Semel adhuc innupta fuit chlorotica. Nupta autem nunquam peperit. Sæpe valetudinaria fuit; medicus autem aſſeruerat, eam affectionibus hyſtericis laboraſſe. Dum autem eſſet nupta, bis per menſem menſtruare ſolebat. De-

bilis inde admodum facta eſt. Aliquoties intermittente & bis acuto morbo laboravit.

Die 16. *Julii.*

Laſſitudo, fracta genua, tumor pedum œdematoſus, tumor abdominis, flatulentia, præcipue poſt paſtum, alvus difficilis, urina parca, appetitus proſtratus. Calores vagi, ſubiti ſubinde, durant jam per novem menſes, at modo omnia hæc increſcunt. per menſem jam labia pudendi tument. Dedi ſequentia

℞. Cort. peruviani ℥j.
— — Winter. dr. ij.
Semin. dauci
— — aniſi āā ʒß.
Roob ebuli ℥ß.
— — Juniperi q. ſ.

M. f. Electuar. quator de die ſumat magnitudinem nucis moſchatæ.

℞. Milleped. vivor. ℥ß.
Emulge in aquæ juniperi ℥x. Emulſioni adde
Spirit. juniperi ʒj.
Salis geniſt. ʒß.
Ol. ſtillic. juniperi ſacch. ʒj., in elæoſach. redact. gutt. iv.
Roob juniperi ℥j.

M.

M. mane & veſpere duo magna cochlearia. Pro potu autem communi utatur infuſo baccarum juniperi.

Die 17. *Julii.*

Hodie eſt dies ab ultimo paroxysmo nona. Heri, uti & aliis diebus, quibus alias febris redire debuiſſet, urina colore magis exaltato, & pulſus paulo celerior naturali. Diebus autem bonis pulſus & urina ſanorum. Videtur urina ſolito parçior fuiſſe hodie, quam aliis diebus.

Die 18. *Julii.*

Nox inquieta. Urina colore ſana, ſed, uti omnibus aliis diebus, ſedimentum habens, quaſi mucoſum, ſero ſubſidens. Pulſus bonus.

Die 19. *Julii.*

Urina hodie minus colorata, quam adhuc heri. Hodie alvus copioſior, quæ hucusque fuerat quotidiana quidem, at durior. Pudenda tument.

NB. In acutorum exordio materia per vomitum dato emetico ſæpe copioſa & viridis ejicitur. Inde conantur demonſtrare bene datum eſſe emeticum. At contra eſt, quod homines ſæpe ob deliquium animi a venæ ſectione ortum vomant *copioſam & viridem materiam*, qui tamen ante quoad ventriculum & primas vias bene habebant. Ra-

tio *copiosæ & viridis materiæ* eſt, convulſiva non tantum ventriculi, ſed etiam veſiculæ felleæ per vomitum contractio, ita, ut bilis omnis in ventriculum exprimatur.

Die 23. Julii.

Urina die, quo alias febri deſtinatus erat, colore bona erat. Die ſequenti calore pallida. Hodie (die 23. Julii) color in urina pallidus ferme, ut heri cum levi ſedimento, globoſo, albo. Hodie mane cum modicis torminibus bis alvum poſuit. Urina paulo copioſior. Vires & appetitus redeunt. Abdomen manet tumidum; tumor ad veſperam majcr, mane paucus, circa malleolos. Sitis vix ulla, aut nulla.

Die 28. Julii.

Urina copioſior, bona ſemper. Vires & appetitus rediere. Mane plerumque ventriculo dolet. Dedi illi eſſentiam abſynthii, quam ad manus habebam, & juſſi, ut ſumat unam partem cinerum geniſtæ, vel ſtipit. ſabarum vel cineres ex ligno quocunque, & effundat partes quatuor vini albi, cum manipulo ſumitatum abſynthii. Poſt 24 horas colat. Sumat inde mane & veſpere uncias quatuor, aut ſi inde urina non moveat, ſumat ter de die uncias quatuor.

Sump-

Sumpto hoc vino tumor pedum omnis evanuit, tumor abdominis multum resedit. Sed post finem Augusti ex nimia, per duos dies esuriales, abstinentia a cibis coctis calidisque, sumpto insuper tunc temporis frumento turcico (Guguruz) tosto, iterum febris tertiana cum dolore artuum tempore paroxysmi. Dedi quater per diem drachmam unam corticis, emanente autem paroxysmo pergebat ad quatuordecim dies omni die sumere drachmam unam bis. Ventriculus, quo doluit sæpe, emendatus est. Calores illi subitanei sæpius per diem redeuntes, quibus obnoxia erat a longo jam tempore fuit, cessarunt. Respiratio emendata est, quæ antea semper paulo difficilior erat.

NB. Eadem domina hoc modo sibi quondam febrium depressam esse mihi narravit. Sumserat fabam S. Ignatii, hanc vesperi infundit frigidæ aquæ communis unciis sex per noctem. Mane exhausit aquam, dempta faba. Hoc aliquoties facto febris emansit. Dominæ hujus soror curasse hydropem se, tali modo ait: radicem levistici (Liebsstöckelwurz) vespere frigide infundit cum ℔j vini albi per noctem. Mane & vespere potabatur pro dosi, integra hujus infusi libra.

bra. Factaque magna per diuresin evacuationem sanata mulier est.

Mulier 60 annnos nata dentes tertios accepit. Mortua est triennio post, quum omnes denuo dentes feliciter atque absque incommodo ita recuperasset, quibus ad mortem usque optime utebatur. Habeo hanc historiam ex ore plurium matronarum, uniusque religiosi, viri omni fide digni, qui illam optime noverat. Jocari saepius erat solita, Deum ipsi nil largius, quam dentes concessisse.

HISTORIA XII.

Die 16. *August*. 1772.

Diarrhæ & oedema crurum.

M. A. de M*. 13 mens. A nativitate sana fuit. Jam inde a paschate dentes erumpunt. Habuit paroxysmos sex tertianæ, qua simul etiam ejus nutrix laboravit, curata per corticem nutrice, etiam ipsa a febre libera evasit. Sed successit diarrhæa, quæ hucusque durat. Fœces potissimum virides sunt. Non vomuit. Satis bene appetit, non sitit. Dormit. Heri & hodie alvus obstructa. Suppositorio sollicitabatur, prodiere fœces compacti flavi. Vespera autem successit per se iterum diarrhœa materiæ flavæ copiosæ.

An-

Ante octo dies ablactata est, nam nutrix profligata febri, neglectaque omni diæta toto tumere corpore incepit. At tempore ablactationis tumet etiam puella toto quidem corpore, potissimum autem cruribus. Dedi sequens:

℞. Aquæ florum tiliæ ℥viij.
Lapid. cancr. ʒij.
Sapor. venet.
Vitell. ovi solut. ʒß.
Syrup. diacod. ℥jß.

M. D. U. Quater de die cochleare majus sumat, lagenula prius probe agitata.

Quia autem macula aliqua nigrescens est in loco procumpentis dentis, dedi sequens:

℞. Succi sempervivi maj. ℥ß.
Spiritus salis gtt. xx.
Syrup. viol. ℥iij.

M. Sæpius per diem illinantur gingivæ.

Nota. Totum corpus præcipue crura & spina dorsi fricetur fumo juniperino & mastichino quater per diem. Lectus autem, quoties decumbit, hoc fumo prius bene lustretur. Pro potu ordinario bibat infusum baccarum juniperi, cui prius incocta oriza est.

Die

Die 24. August.

Macula nigrescens in gingiva meo jussu tangebatur aceto diluto, usque dum medicamentum ex pharmaceia afferretur, & antequam idem allatum esset, macula solo aceti usu jam disparuit. Vix uti cœpit mixtura superius descripta, alvus fiebat ordinata. Puella non amplius tumet. Alacrior est. Hac nocte quater alvum non viridem posuit iterum. Nam per duos jam dies nullum amplius medicamentum puellæ datum est. In fœcibus sæpe deprehenduntur indigesta.

℞. Extract. cort. peruv. ʒiij.
Limatur. ferri non rub.
Extract. absynth. āā ʒj.
Corallinæ scr. ij.
Syrup. absynth. ℥v.
Elix prop. s. a parat. ʒβ.

M. Exactissime. Mane & vesperi duo cochlearia coffeana vacuo ventriculo. Pergant in frictione.

Puella hæc post aliquot dies dentire denuo incœpit. Dejecit aquosa, raro viridia. cum omnia rite examinarem, deprehendi, quod tota die puellam infarciant cibis, potissimum ex acido pane confectis, imo quod etiam de nocte bis terve; dent ad manducandum.

Juss

Jussi ut abstineant ab electuario, &, ut linimento superius descripto gingivas denuo illiniant. Dedi insuper mixturam cum sapone veneto. Insuper diætam sequentem præscripsi:

Primo de nocte nil detur puellæ ad manducandum. Secundo, si dejectio frequens & aquosa pergat, tunc dent orizam lacte coctam (oriza ut bene coquatur, cum aqua debet coqui, ut scilicet melius penetretur. Dein vero sub finem coctionis addi lac debet; præterea jussi, ut panem primarium (semellæ) in lamellis scissum torreant, totumque exsiccent in aere, asserventque, ut inde tenuissima pulmenta cum anatica portione lactis & aquæ coquant. Ad bibendum vero dent aquam oryzæ & subinde aquam cum lapidibus cancrorum.

Notavi præterea in hac puella admodum debili, flaccidaque, quod, si etiam *roborantibus* utendum sit, ea *parce*, *lente*, danda esse, & a *lenissimis* incipiendum esse præcipue in *corpore debili* delicateque sentienti, cum alias talia *roborantia* in *purgantia* abeant.

HISTORIA XIII.

Die 10. *Sept.* 1772.

Pleuritis rheumatica

Tempeſtate frigida humida, flante vento eques iter fecit, noctu dolorem lateri ſiniſtri *in reſpirationem acutum*, *pungentem* experitur, *nullo prævio horrore æſtuve.* Nec poſtea æſtuavit. Somnus bonus.

Die 11. & 12. *ejusd.*

Eadem omnia.

Die 13. *Sept.*

Acceſſit dolor lumbi ſiniſtri, manente priore dolore lateris, dein & auris, dentis, gutturis, ſterni, ſucceſſive. Dolor lumbi ad noctem diei 13. graviſſimus. Fere immobilis jacere cogitur. Sudoribus fere diffluit, præcipue ſi vel parum aquæ bibat. Calores nulli. Caput ſerenum ſupra modum, pulſus vel naturalis, vel modiciſſime naturali celerior. Suaſi ut caveat a perfrigeratione omni. Abſtineat carnibus, pinguibus. Utatur tenui diætâ ex fructibus coctis. Bibat omni hora duo vaſcula coffeana ſeri lactis pauxillo allii alterati *calide*. Si vero locus quidam nimium doloret, adponat cataplasma ex malva cum lacte cocta.

Die

Die 20. Sept.

Melius habet, ſurgit. Dolor tamen adhuc aliquis ad ſiniſtram coxæ partem, in die tamen etiam iſte minuitur. Dixit ab appoſito cataplasmate ſibi pejus fuiſſe. Sudat adhuc. Suaſi ut partem affectam fricet fumo baccarum juniperi, & ſi non ceſſet brevi dolor, ſumat purgans antiphlogiſticum.

Nota. Rheumatismus *cum febre non admittit* purgans. At *ſine febre* ſi ſit, tunc adtendendum, an *ſudor* adſit, & an ſudore malum minuatur. Hoc ſi ſit, danda ſunt blanda diaphoretica. Si vero non adſit ſudor, nec *proclivitas ad eundem*, dandum eſt *purgans antiphlogiſtum*.

HISTORIA XIV.

Die 18. Sept. 1772.

F. intermittentes.

D. Sz***. 30 annorum. Per annum variis febribus intermittentibus confligtabatur. Semel etiam quartana duplicata. Nuper quartana ſimplici, per emeticum curata. Poſt ſex dies a curata febri, die ſcilicet 16. Septembris, mane circa ſextam paroxysmus cum frigore per horam, & calore tota die, noctеque durante.

Die 17. *Sept.*

Mane apyrexia non perfecta. Ad vesperam ejusdem diei frigus per horam, calor ingens, dolor capitis alternans cum dolore ventriculi, ita, ut uno cessante alter sequeretur statim, & vicissim, idque per totam noctem & diem subsequentem.

Nota. Dolor ventriculi in paroxysmo non semper est a saburra.

Die 18. *Sept.*

Mane hujus diei vocatus aderam. Alvus per triduum nulla. Dedi illi binis vicibus libram unam decocti prunorum exsiccatorum cum scr. ij. salis polychresti, inde alvus dura movebatur, & copiosa binis circiter vicibus ea vespera, noctu somnus. Mane apyrexia.

Die 19. *Sept.*

Circa meridiem sumsit sequens medicamentum:

℞. Aquæ rhœad. ℔j.
Extract. cort. peruv. ℥β.
Syrup. rhœad. ℥iij.

M. Sumat omni hora ℥j. Sive duo cochlearia majora.

Circa quartam pomeridianam manus frigebant, livebant ungues. Sensus frigoris tamen nullus. In ægroto levis dolor capitis, qui

qui ſtatim augebatur cum calore totius corporis. Nullus ſomnus. Die ſequenti ut noctu. De nocte ſomnus & ſudor fœtidus.

Die 20. Sept.

Mane apyrexia. Circa ſeptimam veſpertinam dolor capitis ad initium levior, auctus deinde cum calore, nullo prægreſſo frigoris ullius veſtigio. Inſomnia interrupta vigiliis.

Die 21. Sept.

Mane adhuc dolor capitis usque ad quartam pomeridianam. Noctu ſomnus & ſudor.

Die 22. Sept.

Hoc die ſumpſit unciam unam pulveris cort. peruv. drachmam unam pro doſi. Somnus bonus.

Die 23. Sept.

Hodie denuo uncia una corticis abſumpta. Noctu nullus paroxysmus. Somnus bonus. Sudor copioſus fœtidus.

Die 24. Sept.

Sumſit unciam ſemiſſam corticis peruviani.

Die 25. Sept.

Pariter unciam ſemiſſam ejusd. corticis.

Die 26. Sept.

Drachmas tres corticis. Consequentibus diebus autem, usque ad decimum quintum ab ultimo paroxysmo diem, sumere jussus est quotidie drachmas duas corticis.

Nota. Die 18. Sept. in sequenti statu eum inveni. Dolor capitis. Æstus. Alvus per triduum obstructa. Nullus hypochondriorum dolor, nec tumor. Nullum flavedinis signum in oculis. Non nauseavit, non vomiturivit, nec ulla habuit affecti ventriculi signa. Homo debilis, emaciatus.

1) Narravit mihi æger, paroxysmos quotidianæ tertianæ & quartanæ omnes ferme ad vesperam invasisse.

2) Sæpe paucissimum aut fere nullum frigus in tertianæ paroxysmus adverti: e contra longos & vehementes calores.

3) Ante paroxysmum sæpe sudare de nocte solebat una alterave vice, & dein loco sudoris accessit postmodum paroxysmus, ita, ut ex præcedente per aliquot noctes sudore, futuram sibi febrim prædiceret. Item quando paroxysmi emanserunt, tunc tamen per aliquot vices rediit loco paroxysmi sudor fœtidus.

Ha-

Habitat in pago admodum humido, ſubinde aquis fere ſubmerſo, in ædificio recenter exſtructo.

HISTORIA XV.

Die 26. Sept.

Febris quartana.

K***. puer 7 annos natus, morbis infantilibus defunctus, ad cacochymiam inclinans, facie pallida, non pingui, dentibus fere omnibus putridis, halitu gravi, quartanam accepit. Primus paroxysmus ad veſperam, qui dein ita anticipavit, ut quintus paroxysmus decima antemeridiana redierit. Frigus per horam; per tres, quatuorve horas calor. Perfecta poſtmodum apyrexia. Sub paroxysmo queritur de dolore colico, non continuo tamen; appetitus ſub apyrexia vegetus. Nullus hypochondriorum tumor, nec dolor. Abdomen non tumens. Alvus in ſanitate potius difficilis, quam diarrhæica. Subinde tamen dolores colicos habuit. Quotiescunque ægrotavit, ſemper excrevit lumbricos, paucos tamen; ante hanc febrim per aliquot dies diarrhœa levior. Quintus paroxysmus gravior erat prioribus. Cras

die 27. Sept.

expectatur sextus paroxysmus. A primis annis nares sibi sæpius fricat.

℞. Pulveris semin. sant.
— — — hieræ picræ
— — — rad. valerian. silv. ā ℨj.
Vitrioli martial. gr. xv.
Corn. cerv. ust.
Corrallin. ā ʒβ.
Cort. peruvian. ℥β.

M. f. pulv. dandus in pyxid. Detur puero mane & vesperæ cochleare coffeanum hujus pulveris in pauxillo mellis, ventriculo vacuo.

℞. Unguenti nervin. ℥iij.
— — — arthanit. ʒiij.

M. bis de die totum abdomen fricetur probe. Cum discessissem domo in mandatis dedi, ut per tres dies pulvere descripto utatur, postmodum vero sequentia adhibeat:

℞. Pulv. cort. peruvian. ℥jβ.
Syrup. florum rhœad. q. s.

M. f. conditum. Quater de die sumat magnitudinem nucis moschatæ majoris.

℞. Unguent. altheæ comp. ℥ij.
Ol. castorei ʒij.

M. hora ante paroxysmum tota spina dorsi probe fricetur, tunc autem statim decum-

cumbat, & bibat calidum infusum florum sambuci.

N. Jussi, ut, emanente licet paroxysmo, tamen in usu electuarii pergant.

Die 9. Octobr.

Electuarium ex cortice nuper domi relictum non est adhibitum, quia formula deperdita fuit. Adhibebatur hucusque pulvis datus, bis de die purgabatur per aliquot dies, bis terve per diem. Semel sexies dejicit materiam, mucosam sæpe, semper ferme atram (color a medicamento est, nam pulvis aquæ mixtus nigrescit) febris semper eodem ferme tenore pergit. Modo circa decimam matutinam, modo circa undecimam recurrit. ultimi tres paroxysmi paulo mitiores fuerunt. Puer ingenti appetitu, & longe majori, quam ante usum pulveris, modo gaudet. Jussi, ut pulvere modo abstineant, ut nupera præscriptione utantur.

NB. Sub singulo paroxysmo, per omnia paroxysmi stadia, placide & satis profunde dormit. Toto paroxysmi tempore non dolet capite. Post paroxysmum etsi nullibi doleat, tamen manet toto illo tempore in lecto quietus, summe defatigatus, puer alias recens, & lecti alias impatientissimus.

NB. Videtur febris ſenſus internos externosque peculiari modo ſopire. Quod ſi ſomnus hic pertinacior eſſet, profundiorque, haberetur febris, quæ ſub ſpecie apoplexiæ, temporarie redit. Vidi in puero alio octenni tertianam, cujus paroxysmi dormiendo transacti ſunt. Hæ febres gradu tantum differunt ab illis febribus apoplecticis.

Mater timuit adhibere corticem. At admonita eo uti incepit

die 21. *Octob*,

quo die ſemel tantum datum eſt electuarium, quia eo die paroxysmus, & quidem ultima vice rediit. Usque ad 26. Octobris incluſive dedit mater puero præſcriptam doſin, deinde vero usque ad decimum quintum ab ultimo paroxysmo diem doſin tantum dimidiam. Suaſi, ut per ſeptem aut plures adhuc dies omni die ſemel detur de electuario. Puer optime valet appetitu, & per omnia bene valet.

HISTORIA XVI.

Die 26 *Februar*. 1773.

Chloroſis. Domicella N***. 19 annorum. Menſtrua ſæpe tempus antevertentia parciora absque dolore; intermedio tempore fluor albus, non

non excorians. Tumor pedum hydropicus, palpitatione cordis fere continua, difficilis in inceſſu reſpiratio. Dolor & vertigo capitis. Hypopia tument. Somnolentia fere continua, pulſus celer. A paſtu non gravatur. Quamdiu hæc omnia? An parciora, an vero copioſiora ſunt menſtrua, an cum dolore & febricula? An dolores colici lumborumve adſunt? palleſcit, emaciatur. Pedum tumor jam ultra menſem continuus, ubi tamen antea tantum omni menſe rediit, evanuitque; idque jam per biennium.

℞. Limatur. ferri non rubigin. ℥ß.
Electuar. diateſſar. ℥ij.
— — — hieræ picræ ʒj.
Cortic. winter.
— — peruvian. āā ʒiij.
Roob juniperi.
Syrup. de artemiſ. q. ſ.

M. f. electuar. quater de die magnitudinis nucis moſchatæ, ſuperbibendo vaſcula infuſi ſequentis:

℞. Baccar. junip. cont. ℥iij.
Herbæ ſalviæ
— — artemiſiæ āā Mij.
Rad. glycirrh.
— Fœnicul. āā ℥ij.

Seminis anisi
——— carvi
——— fœnicul āā ʒij.

C. C. D. U. Divid. in part. v. Singulam partem infundat cum aqua ℔ij per horam & colet.

Die 20. Mart.

Sumserat tantum dimidiam nucis moschatæ magnitudinem, quater per diem, & tamen quater, quinquies, aut etiam sexies purgabatur. Tumor pedum minor, omnia symptomata minuuntur. Coloratior, & plenior facies. Heri menstrua pallida per unicum diem.

℞. Limaturæ ferri non rubig. ʒvij.
Electuar. diatess. ℥jß.
Pulver. cort. peruvian.
——— winter. āā ℥ß.
Pulver. cinnamon. ʒj.
Syrup. de artemis. q. s.

M. f. elect. quater de die magnitudinem nucis moschatæ, cum vasculo infusi salviæ frigide bibendo.

Die 20. April.

Una altera vice repetitum est hoc electuarium. Tumor pedum continuo minor, minorque; non purgatur amplius, nisi subinde, & bis tantum per diem. Facies ple-

nio

nior, coloratior multo. Nulla aut parva debilitas.

℞. Limaturæ ferri non rubig. ℥ij,
Cort. winter.
— — peruvian. āā ʒvj.
Electuar. diateſſ. ℥ij.
Pulv. cinnamon.
Calami aromatic. āā ʒjβ.
Croc. auſtr.
Camphor. āā ſcr. j.
Syrup. de artemiſſ. q. ſ.

M. f. electuar. quater de die magnitudinem nucis moschatæ, ſuperbibendo tria cochlearia vini cujusdam generoſi, præcipue abſynthitis. His aliquoties repetitis puella perfecte convaluit, menſtrua bona, crura non tument.

HISTORIA XVII.

Die 9. *Maii.* 1773.

Intermittens cum pleuritide complicata

Dominus O***. 30 annorum nata ante 5 annos paulo ſupra mammam ſiniſtram ab aſino ungula percuſſus concidit vix non exanimis. Convaluit, at omni fere menſe dolorem in loco olim percuſſo ſentit; colicæ flatulentæ, & acutis obnoxius.

Die

Die 17. *Maii.*

Ante meridiem ſitis, meridie dolor capitis, lumborum, loci olim percuſſi, laſſitudo, inappetentia, horrores intermixti, noctu ſomnus paucus, mane usque ad meridiem ut heri & noctu. Poſt meridiem vero (die ſcilicet 18. Maii) per omnia bene ſe habuit. Noctu ſomnus per omnia bonus.

Die 19. *Maii.*

Mane oſcitatio, una alterave pandiculatio, dolor capitis, lumborum &c. uti die 17mo. Hoc die (19mo) ad noctem vocatus inveni pulſum fortem, modice febrilem, linguam albam, humidam, ſudores; dixitque tota die frigora cum caloribus alternaſſe continuo, ita, ut modo caluerit, modo friguerit. Sitis vix ulla. Alvus quotidiana, difficilis, borborygmi. Somnus usque ad duodecimam noctis nullus. Poſt duodecimam vero ſomnus bonus. Sumpſit ſerum lactis cum ſale polychreſto.

Die 20. *Maii.*

Mane plena apyrexia usque ad meridiem, interim tamen mota eſt alvus, & toties a meridie. A meridie autem ejusdem diei capitis & lateris ſiniſtri, non in loco olim percuſſo, ſed verſus coſtas inferiores, dolor punctorius, pulſus fortis & celer, ſudores, fri-

ſrigora cum caloribus alternantia, dolor pulſans ad frontem. Veſperi venæ ſectio in brachio lateris affecti, ſanguis cum incipienti cruſta, (ante aliquot ſeptimanas venæ ſectio illi facta eſt, ubi ſanguis cruſtam inflammatoriam habuiſſe ab adſtantibus referebatur). Dolor capitis, & lateris ſtatim a venæ ſectione ceſſarunt. Noctu nullus ſomnus, convulſivæ brachiorum, digitorum tractiones, frequenter redeuntes. Mane

die 21. Maii.

adhuc calores, ſubinde adſcendentes ad caput, non tamen ita frequentes, uti noctu. Circa meridiem vix aliqui calores, a meridie nulli. Sedes ter mota eſt a ſero lactis, cui tamen nil additum ſuit. Veſperi pediluvium cum limonada, usque ad mediam noctem ſomnus paucus, poſt mediam vero noctem ſomnus bonus, uti & mane; calores nulli, nec ulli dolores, ſicque totam diem 22. transegit. Toto tempore ſumpſit per diem ſex vascula ex potu theato cum paulo cremore tartari, pro potu vero ordinario ſerum lactis, prout id ab opilionibus paratur, aut limonada. In his uti & in diæta refrigerante pergere juſſus eſt.

NB. Homo robuſtus, motui & vino indulgens. Die 19. vocatus ad noctem, ſtatim

tim volui venam ſecare, obſtantibus licet matronis, utpote in febri intermittente venam non eſſe ſecandam, clamantibus. Sed chirurgum ebrium adhibere non poteramus.

Die 23. Maii.

Ad veſperam diei hujus, quo die toto appetitus aderat, circa nonam veſpertinam rediit dolor capitis ad frontem & ad tempora. Somnus aut nullus, aut cum inſomniis multis. Circa auroram ſomnus bonus & poſt hunc ſomnum ſat bene ſe habuit. Circa meridiem autem hujus diei (23. Maii) denuo capitis dolor, æſtus, quæ tamen omnia disceſſerunt, ſubinde iterumque redierunt. Ad veſperam hujus diei altera vice vocatus feci venæ ſectionem in pede, adplicui epiſpaſtica ad plantas. Pulſus etiam ante venæ ſectionem parum celer, & vix naturali celerior fuit, ſed fortis. Poſt venæ ſectionem omnia bona. Lingua modice alba, appetitus & heri & hodie bonus. Sumpſit potum pectoralem & ſerum lactis cum nitro, & adhibito ad veſperam pediluvio & poſt id epiſpaſtico, hisque per duos tresve dies continuatis, nullum ſymptoma rediit, ſed bene ſe habuit, priſtinasque reſumpſit vires.

NB. Ad veſperam jubeo pediluvium dare, & poſt hoc adplico epiſpaſtica eousque

dum

dum ægrotus de insigni ardore conqueratur, & ob id inquietus esse incipiat. Removeo tunc, ne, dum *revellere* volo humores, eosdem excitatis doloribus vehementioribus, magis *incitem*.

Patet facile *usus* & *abusus* vesicantium, qui determinari acuratius debet.

HISTORIA XVIII.

Die 20. *Maii* 1774.

Obstructiones viscerum abdominalium.

Domina de M***. 24 annorum. Fluor albus subinde acris, pedum gravitas, pustulæ faciei, a multis jam annis. Crura non tument. Olim morbo pallido virginum & pravo in carbones, sal, coffee &c. appetitu laboravit. Quater peperit feliciter. Partus ultimus erat mense decembri. Tumores in abdomine duri, utrumque hypochondrium tumet, doletque; major autem & tumor & dolor in hypochondrio dextro. Menstrua pauca, cum pauca rubedine albescentia, tardant plerumque, & cum febri prodeunt. Appetit bene. Sæpe conqueritur de oppressione pectoris; palpitationes cordis. Somnus bonus. Si menstrua subinde copiosius fluant, abdominis minor tensio est.

℞. Sa-

℞. Sapon. venet. ℥vj.
G. ammoniac.
Extract. rhei āā ℥iij.
Balſ. peruv. q. ſ.

M. f. pil. gr. jv. Quater de die ſumat quatuor.

Poſt aliquot dies ſupervenit dolor lumborum, capitis, oppreſſio pectoris abeuns redeunsque per diem aliquoties, laſſitudo corporis, pedum, & præcipue plantæ pedis dolor urens laceransque, formicatio per brachium & digitos. Appetitus ſubinde bonus, ſubinde proſtratus. Hinc facta eſt venæ ſectio in brachio. Nulla cruſta. Bene inde inde ſe habuit. Hæc omnia ſymptomata jam ante uſum pilularum adfuiſſe ait, at longe mitiora. Si prioribus plethoræ ſignis addas ſequentia: ſcilicet digiti ob plenitudinis & diſtenſionis ſenſum comprimi in pugnam vix poſſunt. Somnus aut profundior ſolito, aut cum inſomniis pluribus ſolito, aut terrificis, aut exiguus, & vigiliis interruptus, aut cum convulſionibus artuum & ſubitanea excitatione. Calores ſubito adſcendentes. Sic habentur pleraque plethoræ ſigna, quæ præcipue ſe produnt in ebullitione ſanguinis vernali.

Die

Die 10. *Julii.*

Poſt uſum harum pilularum dicit, fluorem copioſiorem eſſe, non acrem, ſedem bis, ter, quaterve per diem moveri. Appetit, & ceterum bene per omnia valet, excepta aliqua corporis laſſitudine.

℞. Sapon. venet.
Extract. rhei āā ℥vj.
Gum. ammoniac. ʒiij.
Balſ. peruvian. q. ſ.

M. f. pil. gr. jv. Sumat ut antea.

A pilulis non purgatur. Sedes quotidie ſemel, ſolida. Menſtrua modo prima vice denuo debito tempore redierunt, copioſiora, quam alias hucusque, at necdum ea copia, qua fluebant tempore integræ ſanitatis. Fluxerunt absque dolore, exiguum dolorem colicum die menſtruationis ſecundo ſi excipias. Corporis laſſitudo, pedum per noctem ad malleolos tumor oritur, qui tamen tempore antemeridiano decreſcit penitus. Fluor albus minor, non rodens. Abdomen, quod alias tumuit, minus longe modo tumet, & eſt molle, reſpiratio bona, appetitus & ſomnus bonus. N. Danda paulo magis & efficacius ſolventia.

℞. Extract. rhei ℥j.
G. ammoniac. ℥ß.

Myrrh. ℥iij.
Balſ. peruv. q. ſ.

M. f. pil. gr. jv. Quater de die pilulas quatuor.

Repetitio harum pilularum facta eſt aliquoties. Rediere menſtrua bona debito tempore. Fluor albus emanſit. Facta gravida circa medium tempus graviditatis ob pectoris oppreſſiones venam ſecuit proprio marte; inde copioſior & vix non continuus aquoſæ materiæ fluxus. Circa ultimos menſes languidus & demum vix ullus fœtus motus. Imperata quies eſt, datusque cortex peruvianus, inde vividior infantis modus. At perſtitit fluor. Debito tempore peperit vivam prolem, quæ poſt horæ quadrantem exſpiravit. Dolores poſt partum anodynis ſopiti ſunt. Exacto puerperio fluor albus rodens per intervalla. Poſt quatuor ſeptimanas menſtrua pauciſſima per diem unum apparuere. Abdomen tumidum, non durum, ſed dolens ad dextram ejusdem partem.

Menſe Majo & Junio binis vicibus pilulæ ultimæ repetitæ ſunt. Menſtrua redierunt ſtato tempore, prima vice copioſa, minus copioſa vero altera vice, ſcilicet die 19 Junii. Abdomen tumet minus tamen poſt menſtrua. Dolet latus abdominis dextrum

in

in quod olim puella adhuc impegiſſe ſe dixit in lapſu ad terram, inde ſemper locum ad attactum doluiſſe. Poſt ultima menſtrua fluor albus rodens per diem unicum apparuit. Dedi ſequens:

℞. Extract. martis pom.
——— gentian rubr.
Gummi ammoniac.
Maſſ. pil. ruff. āā ℥β.
Elix. ppriet. q. ſ.
M. f. pil. gr. jv. ter de die quatuor.

℞. Unguent. martiat. ℥ijβ.
Spirit. ſalis ammon.
Camphor. āā ℨj.
Moſchi q. ſ. ad grat. odorem.
M. veſper. nungatur manu abdomen.

Abſumptis his pilulis per octo ſeptimanas nil adhibuit. Menſtrua binis interim vicibus redierunt, ſemel poſt ſex ſeptimanas, minus copioſa; poſt menſtrua fluor albus copioſiſſimus, abdomen detumuit tunc temporis. Rediere denuo menſtrua poſt tres ſeptimanas copioſa admodum, nigricantia, fœtentia. Poſt menſes nullus fluor albus, at tumor abdominis major dolorque ad attactum. A cœna vel modica ſentit magnam ventriculi & abdominis inflationem, appetit, dormit. Latus abdominis dextrum poſt

ufum unguenti minus durum eft, minusque dolet.

HISTORIA XIX.

Die 1. *Jun.*

Pleuropé-ripneumonia.

Dom. F***. 30 annorum. Die Veneris circa decimam antemeridianam horror, calor, dolor lumborum & capitis, fitis magna, dedolatio. Somnus paucus.

Die 2. *Jun.*

Scil. Sabathi, omnia eadem. Nox eadem, fcilicet ut pridie.

Die 3. *Jun.*

Mane furgens extra lectum toto tempore. Omnia leviora. At vefperi magna pectoris oppreffio accedit, dolor punctorius lateris finiftri, tuffis; recruduerunt fymptomata priorum dierum. Nox eadem.

Die 4. *Jun.*

Omnia ut heri. Vefperi hujus diei vocatus feci largam venæ fectionem in brachio lateris affecti. Crufta inflammatoria magna. Ad noctem pediluvium & poft illud epifpaftica; quæ tamen ante fomnum adhuc, excitato fufficienti in pedibus pruritu, detractæ funt. Poft venæ fectionem omnia ftatim mitiora. Noctu fomnus melior.

Die

Die 5. Jun.

Mane nullus dolor punctorius. Levis oppressio pectoris. Sputum croceum; ad vesperam febris intensior, oppressio pectoris longe major. Intensus valde dolor capitis, laterisque sinistri punctorius. Sputum subinde croceum, subinde pure sanguineum. Convulsiones in dormiente præcipue, brachiorum pedumque. Venæ sectio facta est in altero brachio; crusta. Epispastica post pediluvium. Nox melior

die 6. Jun.

Mane omnia meliora, nullus dolor pungens. At a meridie intensus denuo capitis dolor, convulsivi artuum motus denuo. Facta est venæ sectio in pede. Crusta. Pediluvium & postea epispastica. Nox bona.

Die 7. Jun.

Levis diarrhæa. Alvus cocta; levamen magnum se hac die percepisse ait. Plena omnium symptomatum remissio. Nox bona.

Die 8. Jun.

Pergit diarrhæa. Reliqua ut heri. Tussis, sitisque discessere. Sputa nulla. Urina ad vesperam paulo coloratior naturali. Nox optima, somnus profundus, reficiens. Hac nocte post mediam circiter noctem se multum sudasse dicit. Mane urina sanorum.

Subſequentibus diebus & noctibus optime ſe habuit, præprimis vero ſomnum affirmat ſibi quietiſſimum diuturnum & reficientem eſſe.

NB. 1) Peripneumonia *absque ſputis* die ſeptimo *per diarrhœam* eſt judicata.

2) Circa initium diei nonæ ſudor tamquam ſecundaria criſis, poſtquam urina penitus naturalis.

3) Affirmante chirurgo, urina quæ primis diebus, quousque ſcilicet vena ſecari debuit, fere ſanguinei coloris fuit, nunquam ſedimentum poſuit, ſed vix aliquam, & vix conſpiciendam nubeculam ſubinde depoſuit. Sed ſenſim ad colorem naturalem rediit.

4) Modus applicandi epiſpaſtica poſt pediluvium, eaque ante horam ſomni ſufficienti pruritu excitato detrahendi, notandus. Uſus aut abuſus veſicantium.

5) Toto tempore uſus eſt pro potu ordinario decocto hordei cum melle. Item ſumſit omni bihorio vaſculum coffeanum infuſi foliorum rhœad. verbaſci, altheæ cum oxymelle ſimplici, ſyrupo rhœad. & nitro.

6) Cum die decimo quarto hominem ſanum inviſerem, is mihi retulit, ſe ſubinde de repente in fortiori reſpiratione, ſternutatione, dolorem punctorium ſed brevi de-

nuo

nuo evanidum in loco illo ſentire, ubi antea dolorem pleuriticum ſenſit. Ceterum ſe per diem optime valere. Locus antea iſte erat ad infimam thoracis-ſiniſtri partem. Arbitrabar adhæſionem factam ibidem eſſe ad pleuram.

HISTORIA XX.

Die 17. *Julii* 1773.

Variolæ confluentes

Puella K***. quatuor annorum. Bene valuit ſemper exceptis quibusdam intermittentibus facile & per ſe abeuntibus; nuper omni tertia nocte calores aliquos habuit, ceterum appetit. Per tres dies & noctes perfecte ſana fuit.

Die 17. *Julii.*

Circa quartam pomeridianam horror. Dein calor & ſomnus continuus. Oculi ad initium lachrimoſi. Sitis, dolor lumborum; vomuit ſemel. Inquietudo ſubinde & jactitatio. Motus labiorum, quaſi lingentis & guſtantis fere continuus; phantasmata ſubinde. Nox eadem.

Die 18. *Julii.*

Calor intenſus, ſitis, comatoſa affectio. Semel vomitus; jactitatio.

Die 19. *Julii.*

Mane in facie pustulæ, subinde in facie, digitis, paucissimæ in pedibus. Major sui præsentia. Sitis minor, nullus dolor. Optime se habuit circa meridiem; pustulæ in facie copiosissimæ. A meridie denuo major somnolentia, jactitatio, minus tamen dormit. Motus labiorum quasi gustantis rediit. Omnia sibi dolere aiebat, Delirium leve subinde. Urina citrina, pridie tamen copiosior. Sudores nulli. Pustulæ confertissimæ; difficilior hodie per nares spiritus. Tumor palpebrarum, & faciei modicus. Pulsus carotidum. Sitis major quam ante meridiem. NB. Omnia tamen erant mitiora paulo, quam heri ad vesperam, tunc, quando vocatus veni. NB. Puella pinguis & eusarcos, rubra facie, & statura tali, quæ pro illa ætatula major & habilior esse solet. Suasi, ut copioso potu tepido utatur. Fœtor oris acidus, magnus. Subinde tussicula.

Hac die, scilicet 19. Julii, ad vesperam somnus continuns. In somno subinde subrisit. Frequens sternutatio. Minor oris fœtor, minor jactitatio. Urina citrina. Corpus ad attactum moderate calidum circa noctem. Subinde sed raro tussicula sicca.

NB.

NB. Die 16. Julii ex relatione matris puella jam eſt conqueſta de dolore lumborum, & a meridie illius diei præter conſuetudinem dormivit una alterave hora. Ut forte ab hac die faciendnm morbi initium ſit.

Nox die 19. Julii ſequens tranquilla cum ſomno continuo.

Die 20. Julii.

Mane plurimæ puſtulæ rubræ in tota facie, brachiis & manibus, item in pedibus; in ſuperiori crurum & brachiorum parte, item in trunco corporis vix una, alterave puſtula. Facies quaſi eriſipelate aut morbillis affecta videtur, niſi quod in mento plurimæ ſint puſtulæ, ſed ſolitariæ, interſtitiis albis, quæ albedo in genis inter puſtulas non adparet, cum vis aliqua ibi emineat, ſed eryſipelas eſſe videatur; fors etiam rubor naturalis, quo puella alias ſemper valde intenſo gaudebat, multum facit, ne interſtitia primis his diebus alba in his faciei partibus, ſcilicet genis, adpareant. Plena hoc mane ſui præſentia, calores modiciſſimi ad attactum, & in toto corpore diaphoreſis, quam hucusque non adverti. Per duos cum dimidio dies nil comedit. Alvus a triduo nulla. Puſtulæ in plantis pedum plurimæ, in manibus & pedibus ſolitariæ

multæ, ſed in aliquibus harum partium locis ſibi invicem implicitæ. Lingua alba, humida. Minor oris fœtor. Os, labiaque ſibi dolere ait, etiam hac nocte ſæpius audita & viſa eſt os ſibi lingere, & quaſi guſtare per ſomnum.

NB. Omnibus animadverſis videbatur mihi hoc genus variolarum propius ad *confluentes* acceſſurum, quam ad diſcretas. Puella cutem habet craſſam, exercitatam, & ferendis aëris injuriis adſuetam a prima ætate. Somnolentia, & ſternutatio etiam poſt eruptionem alias potius morbillos prænuntiant.

Die 20. Julii.

Tota die plures, pluresque erupere puſtulæ, at in reliquo aut nullæ aut forte una ſolum alterave adparuit ſolitaria. Nulla febris aut valde exigua, plenaque ſui præſentia. Paulo plus facies tumuit.

Die 21. Julii.

Tota facies intenſe rubra, puſtulæ potiſſimum confluunt, rubræque ſunt, in medio ſubſident. Sunt variæ figuræ, variæque amplitudinis, ſed non acuminatæ, irregulares, multangulæ in plerisque locis faciei, in aliis faciei partibus præcipue genis, & ad latera naſi ita confluxere, ut veſicam flo-

rido

rido ſanguine plenam referrent amplam. Naſus totus usque ad ſuam radicem a confluentibus variolis obſeſſus eſt. Plus variolarum & magis confluentium in ſiniſtra faciei parte. Hodie etiam in reliquo & quidem in toto corpore adparuerunt variolæ irregulares, & multangulæ, humiles; & brevi poſtmodum depreſſæ, in medio attamen diſcretæ. Nulla febris. Bonus ſomnus.

Die 22. Julii.

Copioſiſſimæ ubique, pauciores tamen reſpective in pectore & collo, quam alibi.

Die 23. Julii.

Mane adparebat lata, ſplendens albedo in ſiniſtra faciei parte, ubi maxime confluxere, ſcilicet circa genas. Sed hodie ad veſperam redii denuo ad ægrotam, a qua die 20. Julii circa meridiem diſceſſi. Inveni in toto corpore variolas irregulares, multangulas, latas, humiles, & in medio fere omnes depreſſas, rubras læte. Attamen in ſiniſtra faciei parte, ubi illas quam maxime confluxiſſe dixi, jam non rubebant, ſed veſicam albam repreſentabant. In dextra vero faciei parte omnia adhuc rubebant, ut etiam in artuum extremitate, ubi tamen initia apparebant albedinis quam proxime futuræ, ſupra oculum dextrum lata plaga confluen-

fluentium, & veſicam albam & ſplendentem repreſentantium. Idem apparuit in toto naſo. In dextræ manus dorſo lata, magnaque puſtula perfecte nigra adparuit tota, de cujus dolore ſæpius conquerebatur, in eadem manu verſus cubitum plures variolæ præcipue in ſui medio depreſſo livebant. Vidi etiam paucas liventes, & fere jam nigras in ſiniſtro pede. Somnus bonus. Vix ulla aut nulla ſenſibilis febris.

Die 24. Julii.

Mane circa mentum & hypopia flaveſcebant ex albo. Variolæ potiſſimum albeſcebant, dein ſucceſſiee flaveſcere modice cœperunt, atque in medio attolli, turgereque. In dextra faciei parte pariter *attolli*, *albeſcere*, *leviſſime flaveſcere* incœperunt. Idem in artuum omnium extremitatibus factum eſt; eodem ſervato maturationis ordine, quem in prorumpendo ſervarunt, eadem mutatio facta eſt, ſcilicet ut primo attollantur in medio antea depreſſo, dein albeſcant, at demum nullæ ex iis flaveſcant. Puſtulæ faciei præcipue circa hypopia & mentum hodie a meridie pus ſat bonum & copioſum ſudant. In reliquo vero corpore, artuum extremitatibus exceptis, depreſſæ in medio adhuc ſunt, & rubent. Variola illa lata nigraque in dorſo

ſo dextræ manus albeſcere incipit, & nigredinem contraxit verſus ſui medium, ubi tamen turgere jam incipit, ita, ut modo longe minor nigredo ibi adpareat. Reliquæ variolæ, quæ lividæ nigræque adparebant, jam minuunt nigredinem, aut livorem. Heri & hodie craſſa & tenax ſaliva aliqnoties exſpuitur. Fluxit heri & hodie mane per nares ſerum, uti in coryza ſolet. Facies magis tumet. Febris nullæ indicia. Puella dolorum ſat patiens & pro morbi gravitate adhuc alacris. Per tres jam dies ſæpius varia adpetit, atque etiam comederet, ſi concederetur. Heri veſperi, cum toto morbi tempore nullum habuerit alvum, curavi immittere ſubpoſitorium ex vitello ovi & ſale communi paratum, & tenui linteolo per modum noduli ligatum; attamen nulla alvus. Hodie ergo curavi aliud ex æquali portione mellis, ſaponis & ſalis coquendo parari. Quo immiſſo ſecuta alvus eſt cum ſcybalis duris. Appetit, dormit, ſæpius etiam per diem.

Die 25. Julii.

Somnus priori nocte minus quietus, paulo major ſitis. Mane variolæ circa mentum & in dextra faciei parte in cruſtam abiere, ὑπωπια detumuerunt aliquantum. At manus adparebant magis tumidæ & dolebant val-

valde. Sæpius hodie bibit hoc mane; p'us querulatur. In manu variolæ nigræ & liventes disparuere penitus, præter illam majorem nigram. Omnes in manibus & pede sinistro insigniter turgent. In pedibus quæ prius erant lividæ, tales jam non sunt, excerpta una alterave modicissime adhuc in medio livescente. In dextro pede etiam incipiunt attolli magis magisque. In dorso & pectore pars variolarum minus ad *boni moris variolas* accedit, quam ad *confluentes*, & ibi, uti & in collo & pectore vocari possent *cohærentes*. Multæ tamen in his partibus *veræ discretæ*. Hodie alvus compacta.

Animadversiones practicæ.

NB. 1) In sinistra faciei parte, uti & in sinistro pede *citius*, *copiosius* & *perniciosiores* ac *magis confluentes* adparebant. In pedibus præcipue, item in cruribus valde pruriunt pustulæ.

2) Mutatio variolarum *livescentium* & *nigrarum* in *boni coloris* variolas notatu digna est, cum talis *livescens aut etiam nigra pustula* in medio collapsa, revere sit *gangrænosa*. Partes ergo gangrænosæ non semper pro ita emortuis haberi debent, ac si in vitam quasi redire non amplius possent id quod *Haenius* etiam confirmat, qui manum gangrænosam pulvere corticis restituit.

3) Nul-

3) Nullum apparens incommodum ab alvo per octo dies obstructa. Puella toto hoc tempore liquida ut plurimum diæta utebatur.

4) In tam copiosis & malæ indolis variolis hucusque nulla *suppuratoriæ febris* apparentia signa, nisi paulo majorem hanc inquietudinem pro effectu hujus febris reputes, potius tamen ex tensione cutis in manibus tumescentibus, meo quidem judicio repetenda.

5) Facilior tolerantia harumce variolarum mali ut plurimum moris, quam aliarum benignarum a me in aliis pueris frequenter conspectam.

6) Confirmatur observatio, quam in aliis etiam variolantibus feci, scilicet lævam faciei partem *copiosiores* ut plurimum variolas & *citius* prorumpentes habere; rationem putabam olim hanc esse, quia cutis in læva faciei parte mollior quam in dextra est, cum dextræ potissimum parti incumbere dormientes soleamus; at in hac puella ex certa parentum observatione constitit, illam diversissimos habuisse in somno situs, ita, ut nullo certo situi fuerit præ alio assueta.

Pustulæ artuum superiorum & inferiorum vesiculas referunt sero albo, limpido; tenui-

tenuique repletas. Hodie ad noctem ingens in facie pruritus ortus est, præcipue vero in sinistra gena, quem locum etiam insigniter perfricuit. Alvus compacta. De nocte pruritus æque magnus in dextra gena, & dein in fronte, postea in manibus. Alvus hac nocte compacta. Præ ardore & pruritu ferino somnus nullus.

Die 26. Julii.

Mane perrexit pruritus, accessit pruritus pedum. Ex vesiculis perfrictis fluxit copiosum serum limpidum & tenue. Alvus a mane usque ad meridiem ter posita est, compacta, & binis ultimis vicibus albescens, quasi caseosa. Pruritus & inde ingens inquietudo, jactitatio. Vidi hoc mane variolas in corpore toto complanatas, plurimasque in medio depressas. Interstitia fere omnia aut alba, aut levissime inter confertas pustulas rubescentia; limbus ad basin variolarum pallidissime rubebat.

Facies detumuit, uti & manus notabiliter, in quibus cutis non amplius tensa est. Pustulæ faciei tam boni quam mali moris exsiccatæ sunt. In locis illis faciei, ubi variolæ penitus confluxere in vesicam, alba modo, lataque squamma cuti firmiter adhærens, depressaque est.

No-

Nota. Variolæ faciei *octavo* morbi die maturefcere inceperunt, *undecimo* exaruerunt, quibus diebus etiam malæ variolæ faciei & ad maturitatem & exarefcentiam pervenerunt. Facies & manus die undecimo uti, monente Sydenhamio, in bonæ notæ variolis folet fieri, infigniter detumuerunt. Vefperi alvus compacta, noctu ingens artuum pruritus, deinde infimi dorfi, jactitatio continua, & incurvabat fe frequenter, uti in opifthotono. Per exigua intervalla fomnus.

Die 27. Julii.

Mane paulo quietior. Dato pharmaco anodyno fomnus, fæpe quietus, fæpe vero turbatus cum perpetuo dorfi ad lectum affrictu. Somnus modo fat placidus, modo turbatus, cum vigiliis & frictione dorfi alternabat. Heri & hodie frequenter aquam petiit, frequentius tamen hodie. Puftulæ mane pallidiores, quam pridie, omnes complanatæ & in medio depreffæ, & in femoribus leviffime ex pallido cærulefcentes. A meridie quietior, plus dormivit, minor pruritus. Sedem pofuit compactam vefperi.

Nota. Variolas dari *duplicis generis difcretas*, patet. Prima fpecies eft illa *benigna*, in qua variolæ funt *faftigiatæ*: altera *maligna*, ubi funt *humiles* & in medio fui

O de-

depreſſæ. Has ultimas in toto corpore habuit. Differebat hæc ultima ſpecies a prima, apud hanc acgrotam *primo* quoad tempus eruptionis; ſerius enim prorumpebant.

Secundo. Inſigniori pruritu, imo intolerabili ſe diſtinguebant. Item pruritus jam adfuit *ante tempus*, cum ſcilicet alias primum ſolet accedere pruritus *puſtulis arescentibus*.

Tertio. Ex eo tempore, quo inceperunt albeſcere, *eodem immutabiles* perſtitere ad mortem usque; depreſſæ in medio, planæque.

Quarto a vere confluentibus diſtinguebant ſe etiam defectu *veræ ſalivationis*, aut *diarrhææ*.

Ad veſperam diei 27. Julii multi flatus cum ſtrepitu abivere. Noctu nullus ſomnus, incongrua ſubinde dixit. Inquietudo & jactitatio, ſed minor quam prius. Mane quietior. Singultus, flatus ano emiſſi frequenter; quies. Reſpiratio profundior, non accelerata, inæqualis. Poſtmodum paulo celerior, & mors circa mediam undecimam ante meridiem. Statim a morte puſtulæ pallidiſſimæ & livescentes, absque ulla prorſus rubedine. Abdomen inflatum, & fœtor inſig-

insignis cadaverosus. Mortua est ergo in medio *diei* 13 *morbi sui.*

Regulæ practicæ ex hoc morbo deducendæ

Regulæ practicæ:

1) ut primum adparent variolæ *malignæ*, etsi reliqua symptomata *lenia* ad speciem sint, tamen *statim ab initio* danda sunt antiseptica. Si febris torpeat, in corpore debilitato per senium, aut morbum prægressum; aut prægressam aliquam evacuationem insigniorem, dari debent *camphorata*, quorum tamen raro locus est. In nimio autem æstu febrili *acida fossilia* dari debent. Sic sequens julapium erit insigne, scilicet,

℞. Syrup. flor. Rhœad. ℥j
Spir. vitrioli ʒß.

M. Dosis in puero dictorum annorum pro unico die. Potest etiam accipi syrupus violarum. Proderit hoc julapium in *febre suppuratoria* variolarum etiam benignarum. Item in acuta febre qualicunque, ubi aut sola sitis, æstusve aut etiam petechiæ adsint. Optimum antisepticum est *cortex peruvianus*, *ejusque decoctum.*

2) Non fidendum morbi lenitati. Qualis in hoc morbo usque ad initium diei undecimæ fuit. Sed lucrari debet medicus &

ægrotus illud tempus ad prævertendam ve
averruncandam gangrænam.

3) Puſtulas ſive pure, ſive ſero turgi-
das aperire.

4) Rariſſime *camphorata* convenire pa-
tet ex eo, quia ſæpe homines robuſti bene
antea valentes malignis variolis corripiantur,
ubi virium defectus accuſari non poteſt. Po-
tius inflammatio nimis vehemens, quæque
ob ſuos acceleratos progreſſus cito in gan-
grænam abit, accuſari debet. Camphora
putredini potenter reſiſtit, ſi ea ab *inerti*
humorum motu aut potius ab *eorundem ſtaſi*,
ab inopia eorum provenit. At ſi putredo
ab nimium aucto humorum motu proveniat,
adeo tunc camphora non præpedit, ut etiam
inſigniter promoveat gangrænam. *Cortex*
peruvianus magis convenit; conveniret au-
tem certiſſime, ſi præter vim antiſepticam
non haberet vim adſtringendi. Diſcidi in
puella variolas varias in femore & pedibus;
vidi in aliquibus inflammationem puſtulæ
ſubjectam ad oſſa usque penetraſſe, & in
portionis inflammatæ medio quaſi filum
atrum ex centro nigreſcente puſtulæ vario-
loſæ ad os usque ductum. Hinc cum non
tantum in ſuperficie corporis externa, ſed
per ſubjectas partes, & forte etiam in ſu-

per-

perficie viſcerum, eorumque ſubſtantia, & horum quidem, quorum plena ferme integritas ad vitam eſt neceſſaria, variolæ appareant, etſi earum ſedes tam exacte determinata nondum ſit, patet, aucto humorum motu per camphoram non variolas modo viſui ſubjectas, ſed & omnes alias, id eſt univerſalem inflammationem augeri, gangrænamque invitari, potius conveniunt *acida, & præ ceteris foſſilia.* Camphora convenit in gangræna aliunde quam a prægreſſa inflammatione orta, ſive ſi a *ſtaſi humorum non inflammatoria* oriatur. Aut ſecundo, ſi ſtaſis humorum etiam inflammatoria gangrænam fecerit, modo hæc ſtaſis in *aliqua* ſolum corporis parte, eaque talis ſit, ut ab univerſali & nimio humorum motu originem non trahat, quo adhuc magis aucto latius quoque gangræna ſerperet. Aut tertio hæc ſtaſis humorum inflammatoria prægreſſo univerſali nimio eorundem motui ortum ſuam debeat, tamen quieſcere jam conſopitumque eſſe hunc motum oportet, ita, ut data etiam camphora ad eandem, quo prius, vehementiam concitari non amplius queat, ſolaque vis ejus antiſeptica conſideretur.

Obſervationes Sydenhami oſtendunt, nimiam eſſe in malignis variolis inflamma-

 tionem,

tionem, & methodum antiphlogisticam adhibet.

Si gangræna jam adsit, eandem methodum cum usu corticis conjungi posse existimo, adhibitis simul *acidis fossilibus*. Si autem quis præ cortice camphoram putaret magis antisepticam, is certe curam simul summe antiphlogisticam deberet adhibere.

Ea, quæ hujusque dicta sunt, eodem modo de petechiis dici possunt.

In puella hac pariter inveni in tunica cellulosa ubique serum tenue, limpidum, uti in anasarca. Pustulæ discissæ sudabant pauxillum ejusdem seri. Punctum in pustula medium intropressum ubique in corpore fuit, subjecta huic puncto portio cutis nigræ ut plurimum fuit, etsi ipsum punctum sæpe solum ad colorem subfuscum accederet. Subinde color iste niger subjectæ cutis altius, etiam ad ipsa ossa penetravit.

HISTORIA XXI.

Die 16 August.

F. Intermittens.

Domicella 30 annorum circiter, nullius circa diætam erroris conscia, nuper circa vesperam calet: noctu pergunt calores, mane lassitudo & dolor capitis ad lumborum pergit,

git, ſed mitius. Die tertio ante meridiem friget, ſed modice vomit, & dejicit, calet, cum dolore capitis. Die ſequenti laſſitudo, inappetentia, die ſequenti bihorio prius dejicit, vomit, idque ſæpius & utrumque ſimul; calet; vomitus per 2 horas. Calor autem absque frigore tota die, noctu ſudor. Mane laſſitudo. Plures adhuc paroxysmi venerunt graviores ſemper, cum dejectionibus & vomitibus, id eſt cum vera cholera; calor; pulſus celer & parvus absque frigore. Anticiparunt ſemper circiter bihorio paroxysmi. Poſt quintum paroxysmum ſumſit omni bihorio duo cochlearia ordinaria ſequentis.

℞. Aquæ ceraſor. nigr. ℥ij
— — cordial. temper
Syrup. Abſynth āā ℥j.
Extract. cort. peruv. ℥β.
Pulv. cort. peruv. ʒij.

Misce. Omni bihorio cochlearia duo ordinaria.

Emanſit paroxysmus. At ejus loco laſſitudo major tempore conſueti paroxysmi. Repetitum prius eſt. Rediit deinde nihil, at manſit inappetentia. Nullus nec eſt, nec fuit hypochondriorum dolor aut tumor, nec ventriculi. Omni mane ſitis & a meridie

os gluitnofum, & faliva craffior. Repetita denuo priora, ita ut omni mane duo cochlearia fumat. Sitis minor, os minus glutinofum, appetitus rediit. Poft decem ab ultimo paroxysmo dies, dolor capitis & laffitudo omni tertio die redierunt, die alias bona: folventia & cortex profuerunt.

Nota. Hoc menfe (fcilic. Julii 1773.) plurimæ febres tertianæ, fimplices & duplicatæ, pauciores quotidianæ. Plerumque in paroxysmo fingulo pituitæ, materiæque flavæ, viridis, amaræ vomitus. Primi paroxysmi modicum habuere frigus; pofteriores autem non habebant, fed vomitum frequentiorem, caloresque diuturniores.

Vidi aliam tertianarum fimplicium & compofitarum fpeciem *absque vomitu* fed plerumque cum 6 horarum frigore, calore intenfiffimo & maxime diuturno.

Nullus menfis ex prioribus *tot* & tam *graves*, & *difficilius abigendas* febres numeravit, ficut Julius. Erat plerumque ficcitas & fquallor hoc menfe.

Vidi talem tertianam, quæ quintum paroxysmum habuit omnium vehementiffimum, cum priores continuo gradatim facti fuerint meliores; at hunc fecuta funt exanthemata urticalia in cruribus, & inde eman-

fit

fit febris. Fuit autem in hac febri adhibi-
tum Thee amarum cum Sale polychresto;
fuitque absque vomitu sed cum diuturno
calore & copioso sudore. *Nota.* Vidi sæ-
pius febres tertianas simplices & duplicatas
exanthematibus urticalibus judicari.

Nota. Vidi sæpius præcipue in tertia-
nis simplicibus, & adhuc sæpius in duplica-
tis, vernalibus & autumnalibus, & nun-
quam esse perfectam apyrexiam, & adesse
speciem continuæ remittentis; attamen non
semper debent in hoc casu, imo raro ad-
modum venæ sectiones fieri. Ratio videtur
esse hæc: multæ febres sunt a saburra pri-
marum viarum productæ, hinc illa sympto-
mata e. g. sitis, inappetentia, oris amaror
oriuntur. Hinc etiam capitis dolor *deutero-
pathicus*. Lassitudo a prægresso tumultu fe-
brili deduci facile potest. Male ergo illi
in febribus autumnalibus præcipue, sibi re-
gulam pro necessitate venæ sectionis facien-
dæ deducunt ex *imperfecta tali apyrexia*,
id quod tamen a Medicis non ignobilibus fac-
titatum vidi. Secundo contingit ut sæpe
copiosus sequatur sudor in fine paroxysmi
undecunque orti. Jam cum & internæ &
externæ partes æqualiter sudent, facile fit,
ut sudoris quid in primis viis maneat, inde-

que primis viis affectis oriantur ſymptomata ſuperius enarrata. Tertio; ſubinde ob impatientiam ægri ſe in lecto continere & finem ſudoris exſpectare nolentis fit, ut criſis integra materiei febrilis pro præſenti paroxysmo non fiat. Ideo repetunt calores etiam tempore apyrexias, variaque mali affecti corporis ſymptomata inde oriuntur. Ejusmodi continua remittens apte vocari poſſet *continua remittens ſpuria.*

Sæpius adverti, febres cortice curatas frequenter recidivare, niſi diu uſurpetur cortex. Eæ, que methodo *ſolvente* curantur, non recidivant. Redeunt ſubinde de novo, ſi nova fuerit data cauſſa. Vidi febres tertianas vomitorio & dein copioſo cortice tentatas ſuffocatasque; at præter recidivam tumor abdominis magnus ſecutus eſt, urina coloris caſtanei, & poſt moram nigri penitus cum ſedimento lateritio copioſiſſimo: datis ſolventibus curata poſtmodum ſunt hæc ſymptomata. In conſtitutione anni 1773 menſe Julii vidi homines bilioſos hoc tempore vomitorio ingentem ſaburram bilioſam ejeciſſe, & dein datis ſolventibus curatos.

Hiſto-

HISTORIA XXII.

Die 1. *August.* 1773.

Pleuroperipneumonia.

Ladislaus H***. ab aliquo tempore ſcabie laborat. Curatio purgantibus mercurialibus tentata a chirurgo eſt. Minuebatur ſcabies adhibito unguento mercuriali una altera ve vice. Nuper orto per aliquot dies frigore, pro hac tempeſtate ſatis magno, raucedo contracta per duos dies; die proximo

2. *Auguſt.*

ad veſperam queritur dolorem capitis, calorem. Nox cum multo ſomno. Die proximo

3. *Auguſt.*

mane ſurgit, alvum depoſuit. Denuo decumbit; paulo poſt dolorem capitis queritur. Attamen mane alvus poſita, ante meridiem bis vomuit materiam bilioſam. Decumbit paulo poſt, dormitque tota die. Subinde tuſſitat. Noctu ſomnus bonus, & binis vicibus hac noctu manus pedesque convelluntur.

Die 4. *Aug.*

Mane ſomnus continuus. Sudor, aut tranſpiratio notabilis, hucusque nulla; ſubinde tuſſit. Reſpiratio celerior naturali, difficilisque ad veſperam quaſi de ſomno expergefactus; ad interrogata apte reſpondet.

pec-

Pectusque & caput sibi dolere ait. Saepius bibit; lingua alba, humida. Respiratio difficilis, & cum strepitu. Somnus usque post mediam noctem bonus. Urina aliquoties in lectum missa.

Die 5. August.

Ad auroram inquietudo, jactitatio major, calor, dolor capitis, respiratio difficilis, & strepens, sitis augentur. Somnus paucus, dolores ad latus dextrum, paulo anterius, & directe snb mamilla dextra. Decubitus in utrumque latus hucusque. Hodie mane alvum posuit voluntariam compactam, a meridie denuo, urina in lectum missa ante venae sectionem. A meridie venae sectio brachii unciarum quatuor & post bihoriam denuo venae sectio unciarum trium; crusta cito efformata, crassa, & tenacissima, qualis rarius in adultorum sanguine. Calor idem, at post secundam venae sectionem nullus lateris dolor amplius. Ad noctem dolor lateris redit denuo. Attamen post venae sectionem respiratio non amplius strepens, aut fervens fuit. Nox bona satis, somnus aliquoties, sed rarius interruptus, & multo melior priori nocte. Post venae sectionem secundam transpiratio. Hac nocte non potuit amplius incubare lateri sinistro absque metu suffocationis.

Die

Die 6. Auguſt.

Mane ut noctu; at circa mediam decimam major incepit calor, ſitis, genarum rubor, dolor capitis; difficilior, ſed tamen non amplius ſtrepens reſpiretio. Urina ſub hodierna exacerbatione in lectum miſſa. Circa quartam pomeridianam exacerbatio hæc remiſit, & item lateri ſiniſtro ſubinde, incommodius tamen, incubuit. Hodie nulla alvus. Dolor capitis, genarum rubor ceſſabant. Et reſpiratio laborioſa, cita & inæqualis aliquantum emendabatur.

Nota. Puero ſecunda Auguſti puſtulæ in manibus erumpentes paulo ante, non amplius apparebant, ita ut hoc die & pridie retroceſſerint. Secundo nota, puerum non fuiſſe vino & caffeano potui addictum, nec robuſtum pro ætate ſua præ reliquis.

Tertio, ſomnolentia continua, ſive potius quidam quaſi ſtupor. Calores, convulſivi artuum motus, & commercium cum rebus paulo ante a variolante puero contrectatis, aliaque etiam infectionis indicia, variolas in procinctu eſſe ad initium indicabant, non obſtante tuſſi, quæ rarior tunc adhuc fuit, atque etiam in priori puella in primo variolarum ſtadio deprehendebantur. Incerta ergo ſæpe variolarum indicia.

Quar-

Quarto, crusta inflammatoria crassa & tenacissima notatu digna, & vera peripneumonia in pueris.

Quinto *catarrhum suffocativum* appellant in Hungaria hunc morbum, & venæ sectionem in eodem abominantur.

Sexto, frequens tamen est in Hungaria morbus hic, & pro *insanabili* habetur.

Septimo, in quibus a *tussi catarrhali distinguatur* aut *conveniat*, quæ utrobique curatio; ordinariam methodum curandi catarrhos, si non *juvat*, certo *nocere*, & neutiquam esse indifferentem; aliam meliorem & tutiorem posse ostendi, ex sequentibus patebit.

In tussi catarrhali prima glandularum orificia oblinientem liquorem exsudantia constricta sunt. Secundo transpirabilis materies per summitates arteriolarum transprimi solita retinetur. Patet ergo, difficiliorem per pulmones sanguinis fluxum fieri ob eosdem pulmones materia transpirabili retenta occupatos, compressosque. Patet præterea venæ sectionem etiam in catarrho exigi, si modo ægrotus in eo statu sit, ut ante catarrhum subtractionem sanguinis saltem *admittere* possit, adeoque in homine etiam non plethorico debere administrari, præcipue si

ad

ad vesperam pejus habeat, noctu pejus dormiat, & levia licet peripneumoniæ symptomata adsint. Post venæ sectionem potus copiosus leniter sudoriferus aut diureticus. Eadem scilicet curatio hic est, uti in rheumatismo, a quo quoad essentiam non differt. At si catarrho *diutius jam durante* adhibeantur ea, quæ humores paulo validius movent, eosdem vel ad cutis poros, vel ad vesicam vel alvum determinando, si id fiat in homine acutis obnoxio, malaque ad peripneumoniam accedente. Methodus hæc adeo non juvabit, ut etiam noceat. Patet catarrhum facillime in peripneumoniam abire, cum hac sæpe conjunctam esse, imo *nunquam* oriri, quin vel levissima saltem peripneumonia simul adsit, tanquam effectus catarrhi.

Differentiæ sunt sequentes. In peripneumonia signa sunt, *febris inflammatoria*, tussis plerumque minor, quam in catarrho. At in catarrho nulla apparenter, aut vix ulla febris inflammatoriæ signa, tussis molestior, vehemens. Sputum tenue & copiosum; raucedo, coryzaque aut prægressa aut concomitans, aut brevi sequens. Subinde salsus humor ex oculis stillans prægreditur, comitatur, aut paulo post sequitur catarrhus.

Utrum-

Utrumque morbum conjungi ſæpe, ſed validos ambos ex dictis patet.

In pueris glutinoſis ſpecies peripneumoniæ nothæ methodo Sydenhamiana curanda ſæpe advertitur, ubi ſcilicet præmiſſa venæ ſectione datur mannatum purgans per epicraſin.

Die 7. Aug.

Noctu ſomnus adhuc melior quam priori nocte. Sudor copioſus, univerſalis per horam aut ultra de nocte. Inter dormiendum urina, alias præter conſuetudinem in ſanitate, in lectum miſſa. Mane reſpiratio non dolens amplius; niſi ſub tuſſi, accelerata tamen & inæqualis. Puer alacrior. Sæpius cibum poſtulavit. Circa octavam genarum rubor oritur, pulſus & reſpiratio ut ante. Mane transpiratio notabilis ſive mador corporis. Ad meridiem diſparuit levis hæc exacerbatio. Circa quartam pomeridianam genæ ſiniſtræ rubor inſolitus, dein utriusque; oculi vivaces. Multus ſermo, ſed ad rem; pulſus incitatus valde, reſpiratio valde inæqualis; nullus ſomnus a meridie, qui tamen & ante meridiem & heri & nudius tertius frequenter & per intervalla redivit. Continuo cibum appetiit. Cum heri & hodie nulla alvus reſpondeat, dato ſuppoſito-

rio

rio ſcybala cum multis flatibus ejecit. Ad veſperam hæc ſymptomata minuebantur. Hæc exacerbatio pomeridiana major fuit, quam antemeridiana, attamen absque dolore pectoris, niſi ſub tuſſi. Subinde dolorem ſentire dixit in loco lienis, quem a longo jam tempore prætumidum, durum, & inferius ſolito poſitum habet, item ad ſcrobiculum cordis ſe ſubinde dolere ait. At poſt alvum poſitam nullibi ſe dolere dixit. Urina ad meridiem miſſa coloris ruffi, cum ſedimento albo copioſo, & æquabili, brevi depoſito. Urina ante alvum poſitam a meridie miſſa coloris citrini, brevi pariter ejusmodi ſedimentum deponens.

Hodie tota die multo alacrior fuit, & lecti impatiens. Sputa ad meridiem copioſa, & ſoluta non ejecit, ſed deglutivit.

Nota. Patet, quare poſt peripneumonias puerorum magis ſit neceſſarium lene purgans per epicraſin dandum.

Die 8. *Aug.*

Somnus bonus ſatis. Circa meridiem exacerbatio paulo major. Dolor pectoris ſubinde recurrens, etiam extra tuſſim reſpiratio celer, pulſus frequens, & ſtrepitus circa caput aſperæ arteriæ; appetiit. Urina cum copioſo ſedimento albo.

Die 9. *Aug.*

Hodie ad vesperam finis est diei morbi septimae. Noctu somnus ut priori nocte. Tussis mane; sputa soluta, sed deglutita. Ad meridiem levior exacerbatio quam heri. Saepius heri & hodie, sed praeprimis heri, insignis genarum & rubor & calor fuit. Appetitus. Nox subsequens bona.

Die 10. *Aug.*

Mane tussis, sputum unicum ore reddidit tenax admodum, & glutinosum, rotundum. Nulla exacerbatio ad meridiem. Pulsus minus frequens, quam hucusque. Strepitus ad caput asperae arteriae. Alacrior. Vesperi tussis sicca. Noctu somnus bonus.

Utriusque peripneumoniae connubium.

Nota 1) peripneumoniam *veram* & *notham* conjunctam esse in hoc puero. Sputa tenacia, glutinosa, & rotunda, difficulter eggerenda caussam fuisse peripneumoniae nothae.

2) Utramque saepe conjunctam esse; seorsim *alterutram* non raro dari.

3) *Veram* peripneumoniam ex difficili & subinde dolente, tussiculosa respiratione, item ex *signis acutorum*, quae ex ordine & attente examinari debent, uti a *Boerhaavio* adnotantur.

4) No-

4) *Notham* peripneumoniam desumi ex *catarrhosa* & *strepente* respiratione, cum nullis, aut certe paucissimis acutorum signis.

5) Si signa acutorum cum catarrhosa & strepente respiratione juncta deprehendantur, peripneumoniam *veram nothæ* sociatam intelliges.

6) *Catarrhi* signa superius descripta sunt: distinguitur etiam a peripneumonia *notha*, *sive glutinosa* per hoc, quod in catarrho sputum tenue, salsusque tussiendo excutiatur, & respiratio, licet difficilis, tamen *strepens in pectore* aut quasi ab aqua ebulliente in aheno, non sit.

7) Uti in peripneumonia *vera puerorum* venæ sectio necessaria est, ita nimia non debet esse. Partim quia fibræ puerorum flexibiliores & sanguinis impetui facilius cedunt, hinc tanta evacuatio non requiritur; partim vero, ne vires nimis dejiciantur, quarum certe ad finem morbi necessitas est, ut sputa crassa, copiosaque, si, uti fere semper fit, peripneumonia *notha aut glutinosa*, juncta sit, aut *veram* consequatur, facilius egerantur. Vires hæ reservatæ optimum erunt expectorans.

8) In sola *notha aut glutinosa* peripneumonia oxymel simplex, squilliticum manna-

taque egregia erunt medicamenta, quæ attenuant, attenuataque materia vomitu, alvo & viis urinariis eliminant. *Oxymell ſquilliticum cum mannato pharmaco* omnem paginam abſolvit. Hoc ipſum medicamentum dari poteſt diſcuſſa inflammatione pulmonum, ſi gluten tenax, copioſumque eosdem obſideat. Ultimum hoc medicamentum in potu pectorali aut leniſſimo diuretico catarrho ſimplici etiam exacte medebitur.

9) Multum intereſt, ut *peripneumonia vera*, *a notha ſeu glutinoſa* itemque *a catarrho* diſtinguantur. Horum autem trium morborum diverſum genium & medelam hucusque deſcripſimus.

Die 11. *Aug.*

Mane tuſſis multa, ſputa quædam ejecit tenacia, reliqua deglutivit, heri & hodie alvus ſpontanea, compacta; palpebræ & hypopia tument, magis tamen in dextra parte, cui plerumque incumbit. Alacer. Noctu ſomnus bonus.

Die 12. *Aug.*

Hodie ut heri. A meridie hujus diei discesſi domum. A binis diebus urina minus flava, nil depoſuit. Perſtat hucusque inſignis appetitus.

Die

Die 13. *Aug.*

Ut heri.

Die 14. *Aug.*

A meridie circa tertiam calores, genarum rubor, inquietudo. Somnus noctu bonus.

Dieb. 15. 16. 17. 18. *Aug.*

A meridie leves calores. Noctes semper bonæ.

Die 19. *Aug.*

Ad noctem puerum invisi denuo. Narrata mihi sunt sequentia. Puerum in somno insigniter sudare, præcipue circa pectus, claviculas, & frontem. Pustulas per tres circiter dies erumpere copiosas & scabiosas. Tussim esse mane majorem, sed plerumque inanem. Optime appetere. Lateri dextro continuo incumbere; si se reclinare in sinistrum latus velit, tussim sequi magnam, spirandique molestiam insigniorem; urina & alvus sanorum. Pulsus & respiratio naturali celerior. Nota. Suspicor pleuroperipneumoniam in abscessum latentem desiisse. Repetita adhuc venæ sectio, si pueri genitor id permisisset, suppurationem forte præpedivisset.

Circa 20. Septembris puerum vidi sanum, raro tussientem, & sputa cocta facile efferentem. Ad finem Augusti & mensis

Septembris usque ad vigesimum circiter ejusdem mensis tussivit, sputaque cocta ejecit. Appetitus tamen bonus, viresque bonæ. Peripneumonia vera sputis judicata.

HISTORIA XXIII.

Die 20. *Aug.*

Hæmorrhoides.

Domina de M***. 62 annorum. Ab anno sæpius dolorem in intestino recto sentit, dum alvum, quam duriorem semper habet, deponit. Dolores lumborum frequentes & frequentiores adhuc ab anno habet. Habet ab anno tubercula hæmorrhoidalia absque fluxu.

Die 17. *Aug.*

Inappetentia, lassitudo & dedolatio, dolor syncipitis, nuchæ & lumborum magnus admodum. Sitis. Calores; nox inquieta. *Nota.* Pridie ad vesperam jam incœpit ægrotare.

Die 18. *Aug.*

Eadem.

Die 19. *Aug.*

Calores majores & omnia symptomata aucta toto die, & tota sequente nocte. Continua vomituritio. Dolores quasi colici, imo potius dolores parturientium versus inguina a lumbis tendentes. Urina profunde russa.

Do-

Dolor punctorius ſubito pervadens latera thoracis & denuo evaneſcens. Inflammationis in abdomine ſenſus. Hæc omnia etiam ab initio fuere, ſed longe mitiora. Hypochondria tumida, ſed mollia. Ab initio hucusque calores magni cum intercurrente frequenti, ſed levi horrore.

Die 20. *Aug.*

Mane omnia mitiora, præter dolorem lumborum.

Nota. Vidi aliquot hæmorrhoidarios hoc menſe eodem fere malo laborantes; unus eorum diarrhœam paſſus eſt ab irritatione tuberculorum in inteſtino recto exiſtentium, & dolorem ingentem ſupra os pubis, frequentemque mictum. Omnes habuerunt ſanguinem pleuriticum. Sæpius jam per annum aut ultra experta eſt inſigniorem dolorem lumborum, & mictum frequentem.

Nota. Dolor lumborum ab hæmorrhoidibus internis. Die hac (20. Aug.) a meridie ſecta in brachio vena eſt, ſanguis totus quantus cum cruſta phlogiſtica. Poſt horam ex eodem foramine denuo orbiculus ſanguinis pariter phlogiſtici emiſſus eſt. Ad veſperam dolor lumborum & ſyncipitis longe mitior. Sudorque ſymptomatum receſſum terminavit.

Somnus paucus de nocte, & interruptus.

Die 21. Aug.

Mane exiguus admodum capitis & lumborum dolor. Dolores ad inguina pergentes, raro & mitius redeuntes. Circa nonam matutinam accessit dolor ventriculi, quo tempore assumptum jusculum & materiam paucam pituitosam amaram evomuit. Aucto ventriculi dolore versus meridiem dolor syncipitis, lumborum, caloresque recruduerunt. At versus vesperam omnia longe mitiora, quo tempore mador, aut potius sudor erupit. Hodie quater alvus posita, compacta. Noctu somnus bonus cum sudore levi, levamen afferente. De nocte alvus semel compacta. Urina ab initio hucusque eadem, scilicet coloris castanei, & fere nigrescentis cum sedimento lateritio, qualem urinam, tali colore scilicet & sedimento præditam, sæpe in intermittentibus conspicimus. Ardorem in mittendo lotio hucusque queritur.

Die 22. Aug.

Mane nullus capitis aut lumborum nec ventriculi dolor. Musculosam carnem femorum, musculos scilicet glutæos, dolere sibi ait, toto morbi tempore. Lingua hucusque modice albescens & humida. Sitis, quæ sub initio usque ad hesternam meridiem

em magna ſemper fuit, ab illo tempore nulla aut exigua eſt. Inappetentia perſtat. Pulſus ſemper celer & fortis.

Intermittentem cum febri acuta inflammatoria junctam eſſe, patet tum ex exacerbatione circa meridiem ingruente, cum etiam ex urinæ ſedimento. Veſperi circa nonam dolor capitis, ubi os occipitis cum utroque oſſe bregmatis conjungitur, rediit item dolor ad pubem ſubinde pungens & lumborum, ſed mitior rediit. Somnus usque ad 12 noctis nullus, inde ad tertiam matutinam ſomnus inquietus; tunc autem dolor capitis evanuit.

Die 23. Aug.

Toto die bene habuit. Appetitus paulo major. Urina minus ardens. Ceterum colore & ſedimento eadem. Noctu ſomnus turbatus. Nulla ſitis.

Die 24. Aug.

Pulſus heri veſperi & hodie paulo nimis celer. Cetera ut heri. Ad noctem levis dolor occipitis. Attamen ſomnus de nocte bonus.

Die 25. Aug.

Hodie mane urina minus profunde ruffa, magis & dilutius flava, brevi turbata. Sedimentum, ut hucusque, lateritium. Appeti-

petitus. Surrexit hodie mane ex lecto prima vice. Appetitus. Somnus noctu bonus. Hodie mane ter alvus posita.

Die 26. Aug.

Tota die extra lectum fuit. Omnia ut heri. Urina minus profunde russa. Sedimentum leviter albescens. Subinde de plenitudine & dolore ventriculi queritur. Per totum fere morbum questa est de dolore lienis, quem a multis annis ob febres toleratas prætumidum habet. Dolor lienis tunc præcipue sentitur, quando profundius respirat.

Nota. Vidi aliquoties lienis tumidos indolentes alias, accedente febri acuta, aut paroxysmo intermittentis insigniter dolere, scilicet sanguine ad loca obstructa vehementius appellente, motoque validius, major vasorum dilatatio, eaque dolorifica fit.

Die 2. Septemb.

Hodie prima vice urina absque sedimento & coloris straminei fuit.

Die 3. Septemb.

Septies circiter alvum posuit spontaneam. Urina coloratior, cum sedimento rubro.

Die

Die 4. & 5. Sept.

Urina coloratior, cum ſedimento. Ceterum hucusque per omnia bene ſe habuit. Senſus plenitudinis & gravitatis ad ventriculum dudum disparuit. Appetit. Dormit. Præſcripſi purgans rhabarbarinum die 7. Septembris ſumendum; poſtea ſumat mane & ante prandium aliquot guttas liquoris anodini mineralis Hoffmanni in ſaccharo.

Nota. In more poſitum habuit, omni fere nocte ante decubitum potum theatum ſumere, at hoc ſerio disſuaſi, ne vires ventriculi dejiciat.

Nota. Ante venæ ſectionem tantos dolores lumborum verſus inguina tendentes ſenſit, quales in ipſo partu, quem ſæpius experta eſt, nunquam habuit.

Dolor ardorque in mingendo ab hæmorrhoidalibus tuberculis veſicam in conſenſum trahentibus eſſe puto. Fors aderant in ipſa veſica urinaria pariter tubercula, ſive *hæmorrhoides cæcæ veſicæ.*

Ultra medium Septembris urinam caſtanei coloris cum ſedimento lateritio habuit, ceterum optime valuit.

Επι ἀρχῷ φλεγμαινοντι — — ϛραγγυριη επιγινεται. Hipp. ſect. V. aph. 58.

HI-

HISTORIA XXIV.

Continua remittens.

Hodie 22. Augufti 1773 vocabar ad fœminam juvenem Dominam de S*, non gravidam, pinguiculi habitus, & quæ ante medium circiter annum peperit. Sequentia mihi narrata funt: Per duodecim jam dies calores, capitis vero infignes dolores experitur, ita tamen, ut omni tertio die pejus habeat. Frigus nunquam fentit. Primis diebus, die libero, extra lectum effe potuit, at modo die etiam libero ob dolores capitis decumbere cogitur. Exacerbatio omni tertio die continuo gravior evadit, & remiffio minor. Inveni ego pulfum celerem, fuppreffum, dolores capitis validiffimos; at in finiftro folum cranio, fed eo quidem toto, quales hucusque fuere.

Somnus hucusque nullus, aut valde turbatus. Inappetentia magna. Nulla fitis hucusque, narratum eft mihi, illam fæpius acute laborare, & frequenti venæ fectione juvari folere. Chirurgus pridie, aut duobus diebus antea grana XX Ipecacuanhæ dedit; inde aliquoties vomuit, & decies, aut etiam fæpius dijecit, poftea dedit guttas ftomochicas. At inde omnia intendebantur, & acceffit dolor ad regionem ventriculi;

Hæc

læc ante adventum meum. Secta vena est. anguis in primo vasculo crustam habit; in ecundo vasculo levissimum crustæ vestigium; n tertio læte roseus apparuit. Epispastica d pedes. Ea nocte nullus somnus; dolor otum jam caput occupavit. Mane sæpius æmorrhogia narium orta est, totoque eo ie sæpius rediit. Tunc dolores evanuerunt; omnus rediit. Dedi preterea potum antihlogisticum.

Nota 1. Tertio quovis die exacerbatio ontinuam remittentem designat, absque ortice sanatam, solis antiphlogisticis.

2. Indoles hujus remittentis fuit inflamnatoria. Cortex nocuisset.

3. Affectarum primarum viarum signa potu diluente tutius tolluntur, si adsit simul inflammationis indicium.

4. Circa decimum quartum diem morbus narium hæmorrhagia judicatus est.

5. Sæpius adverti, facta venæ sectione a meridie, levamen de nocte, quietioremque somnum sæpe non sequi, at die proximo, nocte sub sequente primum effectum venæ sectionis sentiri.

6. Icterici quid in oculis & facie tota jam diu ante morbum hunc advertebatur. Dolor insuper hypochondriorum, præcipue sini-

ſiniſtri. Hinc adſtringens cortex etiam ex hoc capite nocuiſſet.

Per aliquos paucos dies, cum mane bene habuiſſet, eſſetque extra lectum, a meridie caput dolere, & ſiniſtra quidem capitis ſolummodo parte, ajebat; mediocriter tamen, ſomnolentumque eſſe, frigere ſibi pedes, indormientem ſudare, modice calere ajebat. Noctu ſomnum eſſe bonum.

Poſt paucas dies illam bene valere per omnia ex aliis reſcivi.

HISTORIA XXV.

Febris continua remittens.

Coquus 30 circiter annorum veſperi 23. Auguſti de dolore capitis conqueritur; horruit leviter, caluit. Homo potator. Die ſequenti bene ſe habuit; ad veſperam rediit dolor capitis, igores cum caloribus mixti, dolor lumborum. Oppreſſio pectoris, & tuſſis.

Die 25. Aug.

*Die ſequenti tota die rigores cum caloribus; dolor lumborum & capitis, tuſſis, reſpiratio gravis. Veſperi dolor tendinum genu flectentium inſignis. Sanguis absque cruſta, roſeus in ſuperficie; leviſſimum cruſtae non tenacis in uno vasculi loco veſtigium.

Poſt

oſt venæ ſectionem reſpiratio melior multo, uſſis rarior, capitis dolor evanuit. Nulla ucusque ſitis; perſtitit inappetentia; ſomus ea nocte melior.

Die 26. *Aug.*

Mane rigores ut heri caloribus mixti; eviores tamen longe, quam ante venæ ſectionem. Nulla ſitis, nullus dolor capitis; t inſignis lumborum, & infimi abdominis erſus pubem dolor. Noctu parum dormivit.

Die 27. *Aug.*

Mane vomuit bilem porraceam ſponte. Non dolet caput, non ſitit; non tuſſitat. Dolor lumborum, & abdominis infimi, & endinum genu flexorum idem ut heri. Noxe equenti ſomnus vix ullus; circa auroram Die 3. Septembris mortuus eſt, qui fors mature dato emetico, bilem corrigentibus & vacuantibus ſervari potuiſſet.

Die 28. *Aug.*

Circa veſperam omnia aucta, aeceſſitque denuo capitis dolor magnus. Tuſſis aut difficilis reſpiratio tamen non rediit. Noctu nullus ſomnus, circa auroram bonus, exiguus.

Die 29. *Aug.*

Hodie circa decimam matutinam ſtillicidium ex naribus cetera omnia ut heri veſpera. Circa ſecundam pomeridianam venæ

ſec-

fectionem pedis. Inde ftatim dolor capitis ceffavit, remanfitque tinnitus aurium. Dolor lumborum & infimi abdominis fequenti nocte minor longe. Somnus melior.

Die 30. *Aug*.

Mane nullus dolor capitis, loco ejus tinnitus. Auditus gravis. Dolor infimi abdominis vix ullus nullus, vero lumborum. Hodie alacrior. Hodie mane difceffi.

Febris biliofa epidemica.

Nota 1) Morbos acutos hoc menfe Augufto, & præprimis circa medium & finem ejusdem (anno 1773) ubique frequentiffimos effe.

2) Sunt variæ indolis: nam 1) morem intermittentium aliquæ febres fervant ad initium, tertianarum plerumque; fubinde remittentes jam funt ad initium, in quas tamen primæ illæ ferius abeunt; ultimo continuæ fiunt, principio fæpe admodum mitii.

2) Aliquæ ftatim continuæ funt, & valide invadunt more febrium acutarum inflammatoriarum tempore verno. Hæc ultimæ fanguinem plerumque inflammatum in venæ fectione exhibuere. 3) Vidi hoc menfe febres tertianas perfecte intermittentes, quas chirurgi noftri dato vomitorio impugnabant. Audivi ab ægrotis ejusmodi poftmodum, fumpto vomitorio immanem quantitatem bilis

lis ejectam esse, febrimque sic fugatam. Quosdam novi intermittentibus laborantes dato vomitorio curatos quidem, at tamen languisse postmodum diu, donec vomitu spontaneo omni mane orto levarentur. Alios novi dato vomitorio intermittentem depulisse quidem, sed post aliquot dies recidivam passos, non prioris quidem morbi, sed acuti, omnique nota inflammatorii, in iis praecipue, qui proni alias in acutos febres sunt. 4) Erat & quarta species admodum frequens, & cœteris omnibus frequentior: scilicet calores leves cum rigore mixti, sæpe per diem absque certa lege recurrentes, ad vesperam plerumque aucti cum dolore capitis, graviores etiam post pastum, cum vel absque dolore ventriculi, qui si adfuit, post pastum adfuit, aut gravior saltem factus est. Tandem vehementiori paroxysmo correpti decumbere cœperunt. Sanguis in his plerumque inflammatus.

3) Sanguis detractus, si nulla localis inflammatio fuit, sæpe aut nullum crustæ vestigium, aut leve admodum exhibuit. In hæmorrhoidibus cœcis, in pleuroperipneumonia sanguis vere & valde inflammatus.

4) Plerique hi, qui istis, variæ licet indolis morbis, tenebantur, sive ad ini-

tium morbi, ſive etiam in ejus primum progreſſu, de dolore ventriculi quæſti ſunt. Non pauci vomitu ſponte orto levabantur.

5) Ergo 1) tertianæ ſimplices, ſubinde duplicata perfecte intermittentes. 2) Intermittentes in remittentes, & demum in continuas mutatæ. 3) Remittentes in continuas abeuntes. 4) Continuæ in principio lenes admodum. 5) Continuæ graviter ſtatim invadentes cum topica plerumque inflammatione hoc menſe Auguſto anni 1773 graſſabantur.

In omnibus his, licet diverſis ad ſpeciem morbis, tamen bilis aut quantitate, aut qualitate peccabat. Præterea curationes, ſive ante, ſive a natura factæ, evacuationem bilis neceſſariam oſtendunt. Variationes videntur eſſe accidentales. Cur enim in uno tertianam exquiſitam, in alio remittentem, continuam in alio efficeret, præter idioſyncraſiam, prædiſpoſitionem ægrotantis, in cauſa eſſe poteſt minor, majorque materiæ bilioſæ receſſus a ſtatu naturali.

Patet pariter ex curationibus, rariſſime ſufficere ſolam bilis evacuationem, præmitti venæ ſectionem debere, quæ febrim acutam aut præpediat, aut præſentem componat.

Si adſit acuta febris cum inflammatione topica, hanc prius penitus tolli debere, bilem autem tunc blandiori modo educi poſſe, quam per vomitorium.

Methodus optima his febribus medendi erat ſequens:

1) In intermittentibus ſolventia copioſa, cum multo cremore tartari. Poſtmodum tutius vomitorium dari poteſt, ſolutis prius humoribus, dilutisque.

2) In remittentibus venæ ſectio, & copioſus acidorum uſus eximius eſt. Præfero cremorem tartari ea copia datum, ut verſus alvum bilem determinet. His adhibitis rarior erit vomitorii neceſſitas. Vidi in remittente tali datum vomitorium continuo effeciſſe continuam. Vomitorium autem fuit ex radicis ipeccacuanhæ ſcrupulo uno; quinquies inde vomuit, & decies alvum poſuit, aut ultra. Videmus ergo, quam valide vomitoria agant in ſanguinem. Licet vomitus ſpontaneus ſæpe juvet, tamen non ſequitur, vomitorium propinatum vomitui ſpontaneo ſurrogari ſemper poſſe, cum hic absque nova ſanguinis concitatione fiat, vomitus vero emetico proritatus non æque.

3) In continuis venæ fectio; potus acidus, copiofus. Fere nunquam vomitorii locus.

4) In continuis inflammatoriis cura omni modo antiphlogiftica, hoc folo difcrimine, quod præ nitro tartari cremor conveniat.

5) Febres inflammatoriæ hujus temporis difficilius curantur, quam illæ vernales. Ratio eft, quia in hujus temporis febribus inflammatoriis *vitium bilis* accedit, ita ut compofitus morbus videatur.

6) Febres hujus conftitutionis proprie merentur nomen *febris biliofæ*, five *continuæ*, five *intermittentes* fint.

7) Amara, ftomachica, calida, potus ex carduo, abfynthio &c. non conveniunt in hujus temporis febribus.

8) Cortex ordinarie non convenit in hisce febribus, nifi forte fymptoma quoddam urgeat vehementius, uti paroxysmus cum cholera vehementi, leipothymia &c. Aut fi fubactis jam morbi cauffis paroxysmi quafi ex habitu, & confuetudine redeant.

9) Fructus horæi, pepones &c. innoxie accufantur; graviores credo, frequentioresque futuræ hæ febres effent, nifi has copiofior horæorum ufus præpediret.

10)

10) Fructus immaturos etiam febris ſpe-
iem ab obſtructionibus oriundam, in pue-
is præcipue, producere poſſe, certum eſt, &
xperientia demonſtratum.

11) Methodus illa, quæ per ſalia me-
ia curat febres, non bene convenit, niſi
rte ea dentur copia, ut bilis per alvum
ducatur.

12) Acida in vernalibus febribus, item
 febri puerorum ab acido orta non conve-
iunt in febribus vernalibus. Odorem aci-
um ſudor ſpirat. At hunc odorem non
nimadverti in febribus autumnalibus. Præ-
erea ex ſudore hoc acidum peccans forte
que parum comprobatur, ac ejusdem exi-
entia in juseulo carneo diutius conſiſtente
cidulum valde, volatilem odorem ſpirante,
 tamen putreſcente.

13) Acidum tamen producere febres
oſſe alterius ſpeciei, licet intermittentes,
tiam in adultis ipſis, experior hoc anno;
am ſi acidum in ventriculo prædominari de-
uo incipiat, febris oritur tertiana. Mate-
iam acidiſſimam cum glutine aliquoties vo-
nitu rejeci ipſe; ſed id in debili ſolum ven-
riculo obtinet.

14) Febrium bilioſarum remotior cauſa
idetur anni fervidior pars, generandæ, cor-

rumpendæque bili aptior. Eſus carnium im-
modicus. Exercitium ſub ſole immoderatius

15) Novi, qui exigua admodum bili
quantitate vomitu rejecta levabantur. Imo
pituitæ copiam cum pauca bile rejectam
commodum attuliſſe.

16) Si in veram materiæ rejectæ indo-
lem inquiramus, ea videtur triplex eſſe, ſci-
licet: *bilis ipſa*, *materia biliformis*, *pitui-
ta* ſive *gluten*.

17) Plerique auctores in febribus ejus-
modi bilioſis primas vias primario affectas,
bilisque vitium præſupponunt, corpore re-
liquo hucusque ſano, donec putridis humo-
ribus reſorptis, & ad alveum ſanguinis de-
latis, motus illi febriles oriuntur. Fundamen-
tum huic opinioni dedit obſervatio frequens
vomitionum, aliarumque affectionum ad la-
borantes primas vias pertinentium, cum his-
ce febribus conjunctarum. His præſuppoſi-
tis ipſa explicationis facilitas auctorum ani-
mos eo inclinavit, ut *cauſſam* in primis viis,
effectum vero in reliquo demum corpore
ſtatuerent, ſed ex obſervatione hoc ulti-
mum non conſtat; ſolum hypotheſis eſt,
quæ tamen *methodum medendi* apud pleros-
que ſtabilivit, aliunde potius, quam ex hy-
potheſi deſumendam. Inde in vomitoriis ſpes

fere

fere omnis apud hos auctores eſt; venæ ſectionis arctos admodum limites circumſcribunt, ſuntque, qui eandem ex accidente ſolum ratione inſtituendam volunt. Sed quid veri falſique in hac hypotheſi ſit, paulo curatius diſpiciendum, cum methodus medendi inde dependeat. Et primo quidem poſſe hac ratione morbos oriri febriles, vel ex eo ſolo patet, quod multi oppleto nimis ventriculo, rebus ſive bonis, ſive ineptis, ſcilicet vomitu, aut ſuperveniente diarrhæa non liberentur, in febrim incidant variam, prout varia quoque corporis prædiſpoſitio eſt. Id alio modo non contingit, niſi quod chylus non aptus, ſubactusque in ſanguinem devehatur, motusque febriles concitet poſtmodum, aut ſubigendus magis, aut abigendus. At hi norunt cauſſam prægreſſam; ventriculo ex omnibus ſignis laborant ſemper, antequam febris oriatur. At 1) in febribus biliofis a me deſcriptis, utut ſæpiſſime mitius ad initium ægrotent, tamen fit, ut ſubito graviter laborare incipiunt, nullo in diæta errore prægreſſo. 2) Viarum primarum affectio ſæpe in progreſſu morbi advertitur. 3) Cum materia vomitu rejecta bilis ſæpe ſit aut quantitate, aut qualitate, aut forte utraque peccans; ejus vitium ab hu-

morum, unde ſecreta eſt, vitio dependebit, ut quem effectum dixeris, potius cauſſam appelles.

18) Ut vera morbi cujusdam epidemici indoles innoteſcat, opus eſt, ut medicus inquirat in eos, qui absque auxilio aut mortui ſunt, aut convaluerunt; eos inviſet pauperes, quos eodem morbo decumbere reſcit, etiam non vocatus, ut, qua ratione natura curet ſibi relicta, aut quosnam illa ſalutares conatus edat, quæ noceant, juventque. Opus etiam erit inquirere in aliorum medicorum curationes. Cum vero chirurgi plerumque ægrorum curam, ruri potiſſimum, qualemcunque ſuſcipiant, ii vero audacius, & δραςτικοτερα præſcribant, eaque varia, vario ordine, nullis utpote regulis, certisque methodo inſtructi, magni erit momenti, a me nunquam neglecti, in harum curationum eventus inquirere, utpote ubi apertius adparet, quid proſit, noceatque, quæve morbi natura ſit. Cum *unus* medicus tot obſervationibus vix ſufficiat, magnum adjumentum adquireretur, ſi plures in vicinia medici obſervata ſua, conſcriptasque adcurate morborum hiſtorias conferrent, atque de natura morbi, methodo certiori figenda, cogitarent.

19)

19) Quænam in aliis aliorum auctorum epidemiis febrium biliosarum venæ sectionis necessitas fuerit, aut non fuerit, non disquiro. In mea hac sæpe fuisse, certus scio, expertusque sum.

20) Amaror oris, aut obtusus saltem gustandi sensus, lingua albescens, ex albo flavescens, humida tamen, vitium humorum ostendunt præexistens. Humores hi in sanguine præexistentes & corrupti ad glandulas oris totius, œsophagi, ventriculum, intestinis & ventriculo communicantia præprimis deferri amant, potius quam ad superficiem corporis externam, quamvis & hac via aliquid educatur, ut ex fœtido sudore adparet.

21) Venæ sectionis necessitas in multis non fuit; vigor cum calore alternans, dolor capitis singula vespera auctus. Insomnia. Habitus plenus. Facies rubra. Subjectum inflammatoriis obnoxium morbis. Item morbus subito & valide invadens absque remissione notabili. Item magnus lumborum, dorsi, occipitis dolor, præcipue cum tuberculis hæmorrhoidalibus junctus, aut persona affectionibus alias hæmorrhoidalibus obnoxia venæ sectionem indicabant. Sanguis sæpe cum crusta.

22) Fors in meis febribus biliosis major venæ sectionis necessitas fuit ex eo, quod natio hungarica diætæ carneæ & vinosæ præ reliquis dedita sit, variæque adhuc accedant caussæ, quæ ipsos magis quam alios ad morbos acutos disponant. Vidi virum hæmorrhoidibus fluentibus sæpe, sæpius morbis acutis inflammatoriis laborantem, & cujus sanguis, quotiescunque per venæ sectionem emittitur, crustam inflammatoriam exhibet, in usu vini moderatum, sed fructus horæos aversantem penitus, non voracem quidem, sed diætæ carneæ solum & semper utentem. Suasi victum, quantum fieri potest vegetabilem. Homo pinguis, obesus, rubra facie, frequentissima venæ sectione utens.

23) Aliorum methodos in aliis epidemiis apud alias nationes non taxo; credo illas ita observasse, sed quid in mea nocuerit, profueritque, absque præjudicio propono.

24) De facienda venæ sectione in febribus biliosis, saltem in iis, quas ego observavi *certa & universalis regula* statui nequit. Miror hanc quæstionem non olim modo (vide *Riverius de febribus putridis*), sed hisce nostris etiam temporibus motam esse, moverique quotidie. Etenim in omni

mor-

morbo acuto, ubi motus humorum plus æquo intenditur, at majora mala ab exorbitante solum humorum motu oriunda timere debeant, facienda venæ sectio est. Non hac utique spe, quod sic educi materia peccans possit, sed ut motus sanguinis nec incitatior quam oportet, nec etiam languidior, alienam materiam subigat, coquat, coctamque viis ad eandem evehendam commodioribus educat ex corpore.

In quavis febri acuta concipio materiam peccantem humoribus nostris mixtam, per secretoria aut excretoria loca expelli adhuc ineptam. Accedente coctione, quæ requisito humorum motu potissimum peragitur, ea apta reddatur, ut pro varia ipsius materiæ natura, &, ut ita dicam, subigibilitate, variam coctio hæc formam induat: si *tenuissima* sit, *diaphoresi* difflabitur; si *minus tenuis*, *sudore critico*; si paullo crassior, *urina critica* &c. sic prout hæc materia quam proxime ad humoris alicujus indolem accesserit, cum eodem illo humore furtive quasi ex massa sanguinis subducitur. Quod si *biliformem* habitum materies subacta habeat, aut eum, quem humor gastricus intestinalis &c. ad bilis diverticulum, ventriculum, intestina secernetur. Convenit

ergo

ergo febris *dicta biliosa* cum omnibus aliis acutis febribus, quoad coctionem & crisin; at solum quoad *modum* criseos differt, ut quævis alia ab alia differt. Quandocunque ergo in aliis febribus acutis necessitas venæ sectionis erit, etiam erit in hac. Sequitur ergo *primo* materiam critice ad primas vias in hac febri depositam novos posse producere morbos, variosque, aut recidivam prioris, si post crisin non evehatur emetico aut purgante; *secundo* emeticum aut purgans *ante crisin* aut nocere, aut certo non prodesse, cum cocta nondum sit: sicut e. g. sudoriferum ante coctionem pro crisi per sudores facienda exhibitum certo noceret. *Tertio* in febribus biliosis id commodi habemus, quod, qualis naturæ sint, brevi dignoscatur, hinc potu acido vias primas leniter vellicante pro deponenda illuc, si cocta fuerit, materia peccante, aliisque pro hac crisi, utpote quam præscimus futuram, secus ac in aliis acutis fit, ubi ad initium & in progressu morbi non dixeris, quorsum materia morbi decubitura sit, ad propositum necessariis jam inde ab initio uti possumus.

Si talis febris ad intermittentium aut remittentium benigniorum classem pertinent, post quemlibet paroxysmum aliquid mate-

riæ,

riæ, ſub illa ſcilicet exacerbatione coctæ, ad primas vias deponetur; hinc antequam reſorbetur, acido leniter purgante ſtatim poſt paroxysmum materia critice depoſita educenda erit. Secus reſorbetur denuo, paroxysmos faciet frequentiores, aut febrim diuturniorem, donec totum fere per ſuperficiem corporis externam diminuetur; cum antea materiæ ea copia, quæ poſt paroxysmum critice fuit depoſita ad primas vias, *purgatione leni*, ea vero pars quæ petiiſſet ſuperficiem corporis externam, *ſudore* fuiſſet abacta.

25) Sicut oportet parotidem criticam aperire ſtatim, ſic etiam opus eſt biliformem materiam ſemel depoſitam critice ad primas vias vomitorio pellere.

26) Dolores capitis, deliria, convulſiones fieri in febribus bilioſis ſolent a duplici cauſſa; *primo* a turgeſcentia humorum, ante criſin, *ſecundo* a biliformi materia primas vias occupante poſt criſin. Criſin autem factam cognoſces ex ſignis a *Boerhavio*, ſeu potius a natura dictatis. Præterea detandum, poſt quamlibet exacerbationem criſin quondam *partialem* eſſe factam. Convulſiones & delirium auctumno priori in Thoma Or*** a ſaburra biliformi fuiſſe, præcedentia & ſubſequentia oſtendebant. Miſſus

ſan-

ſanguis fuit in illo caſu ȣκ ορθως, item ȣκ ἐυ; curata ejus quartana fuit. Quid *dyſenteria*; quomodo febres bilioſæ aliquo modo conveniant cum colica bilioſa, & dyſenteria, diſpiciendum erit.

27) Bilioſæ febres cum malignis peſſime confunduntur.

28) Vidi virum, qui febre intermittente tertiana laboravit; paroxyſmi erant cum vomitu bilioſo. Sponte ceſſavit; at licet appetitu gauderet bono, tamen ſubinde quaſi quoddam incipiens animi deliquium, & vomituritio longo tempore poſt febrim hanc. Materia bilioſa critice ad primas vias depoſita adhuc magna ex parte remanet, manente interim, quad notandum eſt, appetitu bono, absque oris amarore, absque ventriculi dolore, ſenſuque ponderis &c. Vomitorio & dein remedio ſtomachico ſanaretur. Cum vomitus ſpontanei, cum levamine fieri ſoliti, ſint longe frequentiores in paroxyſmis, quam *dejectiones*, patet, ventriculum, proximaque huic inteſtina potiſſimum excipere materiam morbi, hinc etiam vomitorium magis quam purgans convenire, ni aliud quid contraindicet. Cum autem vomitorium poſt ſingulos bilioſæ febris paroxyſmos dari nequeat ob nimios, quos induceret tumultus, tamen

in

in fine facta plena crisi conveniet prae purgante.

29) In *intermittentibus* non a praeexistente saburra primarum viarum ortis, emetica ad initium dari non debent; sufficient solventia sola cum subsequente demum emetico. Aut solventia leniter purgantia absque emetico. Si vero haec saburra febrim *causset*, aut *concurrat*, ad initium emeticum dari debet.

30) In remittentibus *veris*, non *spuriis*, a me alibi descriptis, major emetici cautio, solventia, acida leniter purgantia, & demum facta coctione & crisi, emeticum proderit. Si constet coctionem esse factam, crisin vero proxime faciendam, etiam tunc emeticum crisin accelerabit, coctam scililcet materiam ad partes irritatas proliciendo. Si vitium primarum viarum aut praecedat, aut concurrat, erit *remittens spuria*, & emeticum primis statim diebus dari debet.

31) Eadem erunt observanda in continuis biliosis, quae in remittentibus veris dicta sunt, observatis simul iis, quae de venae sectione aut facieuda, aut non facienda, notavi superius.

32) Diaeta in putridis biliosis, non sit ex carnibus aut jusculis carnium. Sed utiles

les ſunt panatellæ ex pane & aqua, addito ſi opus ſit, ſalis pauxillo; item pruna cocta cum melle & aceto, aut vini pauxillo. Item qui aſſueti ſunt, braſſica fermentata in vino aut aceto bene cocta. Juscula carnium diluta cum ſucco limonum. Potus in bilioſis, putridis *frigidus actu ſit.* In laxitate, in putredine omnia calida nocent. In calore febrili non immodico vinum non nocet, mediocriter aſſumptum. Mirabar ſæpe ruſticis hungaris potus frigidos in acutis non adeo manifeſte nocuiſſe, ut profuiſſe ſæpiſſime non mediocriter viſus ſit. Sed dum vidi in putridis, bilioſis id factitari, minus mirabar, confirmatamque vidi antiquorum quorundam obſervationes, frigidam in acutis (putridis videlicet) exhibentium.

33) In febre bilioſa per corticem, aromatica, adſtringentia, intempeſtive curata, recidivam optavi. Nam ſic ipſa nova febris debita methodo accedente, obſtructiones ex priori morbo remanentes feliciter tollit.

HISTORIA XXVI.

Die 31. *Aug.* 1773.

Primipara febre bilioſa repta.

Ad primiparam vocatus ſequentia notavi. Domina M*** mane vomuit pituitam ama-

amarescentem. Rigores cum caloribus alternantes frequentius hoc die redierunt. Modicus lumborum dolor. Caput non doluit. Reliquo diei tempore binis vicibus eadem vomuit. Somnus exiguus.

Die 26. *Aug.*

Mane eadem vomuit, item a prandio. Appetitus heri & hodie exiguus, reliqua ut heri; hoc mane vena secta in brachio exst, sanguis cum magna crusta phlogistica. Circa quartam pomeridianam vomuit. Paulo post dolores partus.

Die 27. *Aug.*

Circa secundam noctis accedentibus doloribus vehementioribus fœtum enixa, est vegetum, sat commode hoc die nocteque sequente se habuisse videtur, etsi non bene recordetur rerum hac die gestarum.

Die 28. *Aug.*

Commode se habuit. At circa vesperum calores majores, qui per totam noctem, fere insommem, usque ad meridiem diei sequentis durarunt.

Die 29. *Aug.*

Hoc die a meridie commode se habuit. Nox bona.

Die 30. *Aug.*

Tota die bene ſe habuit. Ad noctem levis & brevi evanidus rigor, quem calor & nox inſomnis excepit, dein ſecutus ſudor finem exacerbationi fecit mane diei ſequentis.

Die 31. *Aug.*

Tota die bene ſe habuit. Nox bona.

Die 1. *Septemb.*

Ad meridium usque præter ſitim bene ſe habuit. Tunc autem dolor capitis, qui hucusque defuit, & calores acceſſerunt. Veſperi dolor capitis continuus, ſubinde repente lancinans in ſiniſtro hemicranio fere intolerabilis fuit. Sitis; dolor tendinum genu flectentium, & ſurarum. De nocte vomitus materiæ amaræ. Poſt mediam noctem frequens vomituritio, & bini adhuc vomitus ejusdem materiæ, non tamen copioſæ: inde levamen doloris in capite. Sitis magna. Somnus nullus. Hac nocte ſemel alvus compacta.

Die 2. *Septemb.*

Mane calores minores. Dolor capitis nullus niſi in ejusdem motu, Ante meridiem hujus bina alvus conſiſtens. Somnus ad meridiem & a meridie per intervalla, bonus & cum largo ſudore. De ventriculo non

que-

ueritur, nisi quod ipsi plenus adpareat. Hoie de oris amarore conqueritur.

1) Domina ista juvenis, primipara, pinuis. Mammas habet ob papillas complanais prorsum, aut potius intropressas ad lacndum ineptas. Adhibita varia sunt, ut vocentur, uti suctio fœminæ adultacæ, cucurtula: vasculum suctorium, fasciola lata pallam arcte complectens, mediante qua illa xtrahebatur. Sed ommissa actuali tractione troceffit denuo papilla, ut cum circumpoa areola planum æquabile efficeret. Factum credo a thorace balænæ papillas apprience fortius, quam opporteat. Cum enim nguis & mammosa fuerit, fors hancce ppellectilem copiosiorem, quam quæ placre posset, absconditura, fortius mammas mpressit. Fieri id eodem modo, sed ex a ratione posset apud illas, quæ apparam hunc, pactiorem fors a natura factum, mpressione thoraculi sursum urgere, sicce oculis spectantium ostentare cupiunt.

2) Febrim esse acutam biliosam adpart. Paroxysmos hos duos ultimos graviors fors fuere ex eo, quia *febris lactantium* priter accessisse videtur.

3) Oleum amygdalarum dulcium a chirgo primis post partum diebus propinatum

certe non profuit, nec prodesse facile existimo apud alias, quibus tamen ob omnibus fere medicis præscribitur. Oleum enim hoc plerumque non est recens, nec frigide pressum, hinc facillime rancescit. *Recenter & frigide* pressum magis convenit, etsi dilutum jusculum bubulinum hisce præstet omnibus.

4) Est *febris biliosa*, si scilicet exacerbationis periodos spectes, *continua remittens*, cujus paroxismi omni tertio die redeunt. Necessitas venæ sectionis patet ex inflammatoria crusta emissi sanguinis.

5) Multas in Hungaria querelas audivi quod non paucis etiam lactare volentibus lac penitus desit. Causam existimo apparatum ad lactis secretionem necessarium, pressione thoraculi destructam.

Die 3. Septemb.

Nox præcedens bona. Sudor hac nocte copiosus. Heri & hodie in parte superioris hemicranii sinistri dolor subinde lancinans pungens, præcipue in motu corporis. Pulsus ab initio hucusque naturali celerior. Circa meridiem dolor capitis, mitis tamen; vomuit ter ad initium exacerbationis materiam pituitosam amaram cum magno levamine quoad caput & plenitudinem ventriculi. Pa-

lo

o major calor, pulſus modice celerior. Circa tertiam ſomnus, ſudor, & doloris in capite levamen, ita ut paroxysmus finitus viſus fuerit. At poſt quintam repente invadit major capitis dolor in ejusdem circiter vertice ad utrumque hemicranium, continuus, lancinans, mitior tamen quam prima Septembris ad veſperam, Sitis ante meridiem nulla; a meridie aliqua, certe minor, quam in nupero paroxysmo. Calores exigui. Pulſus modice celerior. Nullus crurum dolor, nec alterius præter caput partis. Os hodie amarum tota die ut hucusque.

Nota. Videntur & hodie & nuper bini paroxysmi eodem die ſe invicem excipere, quorum primus circa meridiem incepit, & poſt tres aut quatuor horas finitur, quique in modico capitis dolore, pulſu celeriori, aucto modice conſiſtit & modico udore terminatur: alter circa veſperam ingruit cum dolore capitis repentino, continuo, lancinante, vehementique ceteris ſymptomatibus tolerabilioribus. Hos binos paroxysmos etiam nuper prima ſcilicet ſeptembris obſervavi. Noctu ſomnus & ſudor copioſus.

Die 4. Septemb.

Mane bene per omnia ſe habuit præter oris amarorem. Nullus prorſus capitis do-

lor. Ad meridiem momentaneum frigus, at calor magnus, tantusque capitis dolor in ejus potiſſimum vertice, qualem nunquam antea experta eſt. Nulla hodie alvus. Paroxysmus hic gravis, absque vomitu, duravit usque ad ſeptimam veſpertinam. Noctu ſomnus & copioſus ſudor.

Die 5. Septemb.

Mane oris amaror, qui tamen poſtmodum diſparuit. Rari dolores capitis & momentanei, nox bona. Alvus ſemel.

Die 6. Septemb.

Ut heri omnia. Bina alvus dato tartari cremore.

Die 7. Sept.

Ut heri. Hisce tribus diebus ad veſperam paulo frequentiores capitis dolores fuerunt.

Die 8. Sept.

Mane oris amaror. Data caſſiæ & tamarindorum pulpa cum cremore tartari, ter, quaterque alvus poſita cum levamine. Magnam partem diei extra lectum transegit.

HI-

HISTORIA XXVII.

Die 29. *Aug.*

Domina de H***. tota bilioſa in tertium menſem gravida. Bis jam peperit.

Metaſtaſis bilioſa ad parotides.

Mane ſurgens horruit, toto poſtmodum die caluit.

Die 30. & 31. *Aug.*

Bene ſe habuit.

Die 1. *Sept.*

Veſperi horruit caluitque.

Die 2. *Sept.*

Mane denuo horruit, caluitque. Horror a meridie rediit cum ſubſequente calore. Dolor, levisque tumor poſt auriculam ſiniſtram. Nox inquieta.

Die 3. *Sept.*

Mane horruit, caluit poſtea toto die. Tumor major poſt auriculam, in colli ſiniſtro latere & ad parotidem, dolor ibi lacerans. Nox ferme inſomnis.

Die 4. *Sept.*

Toto hoc die dolores in tumidis partibus magni & lacerantes. Cataplasma ex ſpeciebus emollientibus adplicatum. Nox melior. Hodie diſceſſi.

Die 5. *Sept.*

Hodie dolores paulo mitiores, tumores molliores. Nox melior.

Die 6. *Sept.*

Usque ad vefperam extra lectum hodie fuit. Dolores pauci; tumor in collo mollis. Parotis tumida, duraque. Vefperi dolores capitis ad frontem potiffimum, lacerantes. Nox inquieta. Sputa alba amara non fpiffa, utplurimum fpumofa & copiofa ejecit. Os amarum. Vomitus affumptorum, & biliofus. Singultus frequenter rediens.

Die 7. *Sept.*

Eadem ut heri vefperi, fed magis aucta. Calores continui, fi vel fe modice detegat, rigor. Tumor exiguus in collo. Parotis minus tumens, fed dura. Nox ferme infomnis.

Die 8. *Sept.*

Eadem ut heri. Hucusque cataplasmata continuo adplicabantur. Vefperi accedens adpofui cataplasmata ex fpeciebus herbarum emollientium, cui radicem armoraciæ rafam fuperfperfi. Inde pruritus & ardor in loco dolente & minor capitis dolor. Somnus interruptus.

Die

Die 6. Sept.

Mane multam pituitam amaram vomuit. Dato poſtmodum emetico bilem copioſam vitellinam cum materia pituitoſa vomuit quater per diem. Vomitorium fuit ex rad. ipecac. gr. xij. alvus, quæ a triduo nulla fuit, ad noctem ſuppoſitorio ſollicitata reſpondit, dura admodum. Somnus inquietus, paucus.

Die 10. Sept.

Nota. Averſatur carnes omnis generis, juscula carnium, aſſumpta ex carnibus evomuit. Juscula cerealia retinet, uti etiam acida. Ardor ad ſcrobiculum cordis & in pectore, fors potius in œſophago. Etiam in aliis graviditatibus circa tertium, quartum menſem usque ad finem quinti vomuit carnes. His ſignis redundantis bilis accenſeri debent etiam ſequentia: Dolor capitis vehemens, lacerans; ſitis plerumque; inappetentia, lingua modice alba, ſubinde flaveſcens humida. Sputatio multa & frequens materiæ albicantis ſpumoſæ. Pondus ſubinde ad regionen ventriculi, licet etiam absque pondere hoc & absque ulla ventriculi querela bile laborantes invenerim.

Tumores, qui heſterna nocte etiam ad alterum latus orti ſunt, duri dolentesque; ho-

die minus duri, minus dolentes utrobique sunt.

Post vomitus hesternos caput longe minus doluit. Pulsus longe minus celer. Hodie (10. Sept.) caput non dolet. Surgit e lecto. At circa nonam matutinam dato ante horam leni purgante, vomuit bilem denuo & pituitam. Nox bona.

Die 11. *Sept.*

Hodie tumores minores, molliores. Solum de lassitudine queritur. Purgans per epicrasin dandum ægrota renuit.

Nota. Sæpissime in hominibus biliosis vomitorium præmitti debet. Nam in his signa copiosæ circa præcordia bilis collectæ jam antea sunt. Præterea in biliosis inflammationes rariores sunt. Hinc timere non possum facile, ne fors inflammatio juncta sit.

2) Febres *inflammatoriæ*, *biliosæ*, & *inflammatorio-biliosæ* sedulo & adcurate distingui debent ab se invicem; hac in re nullus potest esse nimius in colligendis signis distinctivis.

3) Tumor in præsente ægrota non videtur ad suppurationem perduci posse. Non est *inflammatorius*, abest enim dolor & insignis ille rubor inflammationibus junctus. Tumor modo mollis, modo durus. Consue-

ſuerim potius ab effuſa materiæ bilioſa eundem ortum. Dolet in attactu ſolum. Doluit etiam dolore lacerante ad initium exortus ſui, ob tenſas nimirum ab effluente humore partes. Adplicatis emollientibus dolor extra attactum nullus eſt.

4) Tumor iſte a materia bilioſa copioſius huc affluente & extra circulum humorum erronea huc depoſita ortus, primo ideam dat *dolorum capitis a bile* vaſa cerebri & meningum diſtendente, licet etiam a bile circa præcordia exiſtente caput ſympathice affici poſſit. *Secundo pleuritidis & peripneumoniæ bilioſæ*, ubi ſcilicet bilis ad pulmones copioſius ruit; ubi venæ ſectio, ſi nulla inflammatio juncta ſimul ſit, nocet. Suſpicor pleuritides illas, a Sydenhamo deſcriptas, venæ ſectionis impatientes, fuiſſe ex hac bilioſarum claſſe. *Tertio* diarhææ, dyſenteriæ, vomitus, choleræ, quas omnes affectiones *bilioſas* cognominari opportet, ut ab aliis morbis, eodem quidem nomine inſignitis, ſed alia ex cauſſa exortis ſedulò diſtinguantur. *Quarto* habemus etiam *apoplexias bilioſas*, ruente ſcilicet non ad partes colli externas, ſed ad caput bilioſa materie.

5) Men-

5) Menſe Auguſto & Septembris plu-rimi laborabant *furunculis*. Fors a *metaſtaſi materiæ bilioſæ.*

6) Signa morborum bilioſorum adcura-te colligi debent, cum frequentes ſint ad-modum & omni anno magis minusque affli-gant, ſubinde vero errore peſſimo cum in-flammatoriis confundantur.

7) Utiliſſimum eſſet, ſi morbi enarra-rentur, ſuasque in claſſes diſtribuerentur ſecundum *ſuas cauſſas*; ſic morbi *inflamma-torii*, item *bilioſi* duas inſignes & diverſas familias efficerent.

8) In tradenda vero praxi medica, juncto anni tempore, morbi regnare ſoliti enume-randi primo eſſent. Dein morbi chronici ſeparatim, uti & puerorum, fœminarum gravidarum &c. utpote qui omnium hora-rum morbi ſunt.

9) In deſcriptionibus morborum in eo a plerisque erratur *primo*, quod omnia ſymp-tomata congerant, quin quæ *ſemper*, quæ *plerumque*, quæ *ſæpe*, quæ *raro* adfuerint, ſatis adcurate notent, diſtinguantque. *Se-cundo*, quod ſuas ſignorum & ſymptomatum deſcriptiones, phraſibus & nimium diducto ſcribendi genere inundent, ſuffocentque,

cum

cum tamen aptiſſimi ſtyli medici exemplum in Boerhaavii aphoriſmis proſtet.

Symptomatum, ſignorumque magis, minusque frequentium claſſificatio facilis eſt illi, qui plurimas ejusdem morbi hiſtorias ſedulo conſcriptas inter ſe comparet.

10) In morbis bilioſis, ſcilicet febre bilioſa, colica bilioſa, cholera bilioſa, vomitu aut diarrhæa bilioſis, item in meteorismo bilioſo, ubi ſcilicet a bile turgida hypochondria tument, aut a flatibus a materia putrida evolutis; præterea in morbis putridis aquæ frigidæ uſus, præprimis ſi acidiuscula reddatur, eximius eſt, temperat enim putredinem, acrisque ex materia putrida evolutionem impedit. Ruſtici hungarici copioſe utuntur frigida, imo ipſa glacie: idque pro medela inſigni habent, qualis quidem eſt in *putridis* & *bilioſis* morbis, non autem in *inflammatoriis*, ubi manifeſto nocet. Idem ſentiendum de expoſitione corporis ad auram frigidiusculam in caloribus, bona quidem in bilioſis & putridis, non item in inflammatoriis. Item ad finem exacerbationis febrilis, quæ plerumque ſudore terminatur, etiam in putridis & bilioſis non valet. Potus calidus in bilioſis ſyſtema gaſtricum dejiciet, in putridis putredinem augebit.

11)

11) Vomitus ſpontaneus idem non præſtat ſæpiſſime, quod vomitus emetico concitatus. Vidi hoc in ægrota hac Domina, quæ ſæpius & vehementer vomuit, ſed ſolum pituitam albam, ſpumantem, amareſcentem. At dato emetico, craſſam tenacemque bilem, quaſi vitellus ovorum, vomuit cum magno levamine.

10) Purgans, etſi repetitum, idem tamen non præſtat, quod vomitus emetico tentatus. Mali enim ſedes in bilioſis eſt ventriculus & proxima inteſtina, ſyſtema biliferum; emeticum *fortius* hæ partes ab obſidente materia concuſſione ſua expedit, & via *breviori* educit.

13) Purgans præmiſſo, aut etiam non præmlſſo emetico optimum in bilioſis eſt ſequens.

℞. Cremor. tartari.
  Sacchar. alb. āā ℥β.
  Roob ribeſior. ℥iij.
M. Sumat mane totum.

vel

℞. Pulp. tamarind.
  — — caſſiæ āā ℥ij.
  Cremor. tartari ʒij.
  Syrup. ribes. ℥j.

M.

M. Sumat mane mediam partem.

vel

℞. Cremoris tartar. ℥β.
Syrup. ribes. ℥iij.
Sacchar. alb. q. ſ. ut fiat ſapor gratus acido dulcis.

14) In morbis bilioſis gaſtricis ingentem ſalivæ, mucique affluxum, ægris valde moleſtum obſervari. Inde quoque patet materiam morbi hanc præprimis affectare viam, hacque eliminari debere. Spu:atio continua etiam poſt morbum vexavit adhuc, fors ob remanentes morbi reliquias, aut ob luxata ſecernentium vaſculorum ora.

15) Vidi tertianam graviſſimam cum 15 aut 18 etiam horarum paroxyſmo, abſque frigore, aut non niſi leviſſimo, cum cholera conjuncto. Die libero non perfecta apyrexia fuit, & illo die ad veſperam ſemper calores aliquos intenſiores expertus fuit. Nihil adhibuit, niſi ſalia quædam neutra, eaque exigua doſi, ut quaſi nihil adhibuiſſe dici queat. Poſt aliquot paroxyſmos ſponte emanſit. Præterea vidi ejusmod tertianam etiam cum vomitu bilioſo redeuntem. Ubi ultimus paroxyſmus integro die citius, adeoque ſtatim poſt penultimum venit, ultimus hic fuit pariter omnium graviſſimus, cum frigore

gore

gore quidem, at in reliquis paroxysmis nullum fuit; ſed intenſiſſima cephalgia, æſtuque ingenti. Sed non rediit poſthac. Vide hiſtoriam Dominæ M***.

In Domina de Sz***. vidi tertianam duplicatam, ubi in utraque tertiana ſinguli paroxysmi cum cholera absque frigore plerumque, aut non niſi leviſſimo erant. Ultimus paroxysmus atrocitate reliquos ſuperavit, & pluribus horis conſuetum ſuum tempus anticipavit. Ex his ſequentia deduci debent. Primo has febres non facile cortice ſiſtendas, ſed potu acido, cardiaco utendum, item incidentibus antibilioſis, oxymele, cremore tartari. Si tamen ingens debilitas corticem indicaret, aut aliud urgens ſymptoma, eundem quidem dari poſſe, aut omni die libero, mane purgans lene, & acidum dari debet. Ad noctem autem illius diei, uti etiam diebus illis, quibus antea paroxysmus redire ſolebat, cortex dandus. Sic purgatio hæc ſæpius inſtituenda vices paroxysmi ſubibit, materiamque febrilem eliminabit, dum interea cortex paroxysmum præpedit, ſola purgatione utique longe moleſtiorem. *Secundo* modo, quo febris hæc ſe ipſam quaſi jugulat, indicationem præbet longe utiliſſimam, ſcilicet die libero poſt

pa-

paroxysmum vomitorium, aut purgans acidum, aut utrumque medicamentum ſimul combinatum ſaburram ejiciet & paroxysmum prævertet omnino, aut inſigniter debilitat eundem, utpote materia illius, contra quam fnturus paroxysmus inſurgeret, magna jam copia ejecta. *Tertio* ex eo, quod paroxysmus & debitum tempus antevertat multum, ſimul longe quam ceteri vehementior ſit, ſuſpicaberis ſat probabiliter, febrim ſe ipſam jugulaſſe, nullumque paroxysmum futurum.

16) Febres acutæ autumnales vel ***bilioſæ*** ſunt, vel ***inflammatorio-bilioſæ.*** Sunt cum petechiis vel absque iisdem. In plebe magis, quam inter nobiles. Inter eos in plebe frequentius, qui ſquallorem, æſtumve, famem, diætam pravam tempore ſcilicet caritatis annonæ experiuntur, paludoſa loca incolunt; male veſtiti ſunt, unde transpirabilis materia facile ad interiora reprimitur. Sic anno 1771 & ſequenti morbi acuti in Bohemia & Moravia regnabant. Queritur de venæ ſectione in his morbis facienda. Reſpondeo, non ſemper eſſe neceſſariam in ***morbo*** ſimpliciter ***bilioſo-acuto.*** Scilicet tunc non eſt neceſſaria, quando ægroti antecedens diſpoſitio, vitæque modus luculen-

ter oſtendunt, *pravam potius humorum diathesin* quam eorundem *copiam* peccare. Acida vegetabilia & mineralia bene diluta, frigida actu, leuiter ad ſyſtema gaſtricum determinantia unicum fere remedium ſunt.

In febre *inflammatorio-bilioſa* venæ ſectionem eſſe neceſſariam, minus tamen frequenter repetendam facile patet.

Febres ſimpliciter bilioſæ petechiis ſolent perſæpe ſtipari, præcipue, ſi morbus epidemicus ſit. Harum petechiarum theoriam hanc eſſe exiſtimo. Materia bilioſa (quam putridam potius, biliformem, at vias biliferas perſæpe affectantem verius dixeris) ſanguinis intimius intermiſta eundem *ſolvit*, & diſpoſitionem putridam toti humorum maſſæ inducit, ſanguinis pars nimium ſoluta attenuataque, vasculorum extrema eludit, elabiturque. Hinc illæ ſuffuſiones & *maculæ petechiales* dictæ. Id quod in ſcorbuto fieri ſolet, ſcilicet ex attenuato nimis ſanguine, id in febre bilioſa contingit. Sed putredo alterius forte ſpeciei in hac febre eſt, gradus putredinis exaltatior, hinc ſequentia deducuntur in praxi perquam neceſſaria:

1) Has petechias proprie *malignas* appellari debere, ſive a tempore, quo frequen-

tio-

tiores esse solent, *autumnales*, ab effectu *putridas*.

2) Probe distinguendas esse ab iis petechiis, quæ cum morbo acuto *inflammatorio* quando is supremum inflammationis gradum adeptus vascula ultima vi perrumpit, & sugillationem format sive petechiales maculas. Has tamen non proprie *malignas* opportere appellari.

3) In his venæ sectionem summopere indicari; in *illis* vero nunquam aut forte rarissime per accidens, imo venæ sectionem in febre biliosa præcipue magis profecta, & exstantibus petechiis perniciosam plerumque esse persuasus sum. Utinam cordati & sagaces medici omnem adhibeant operam, ut gravem hanc questionem, quam ratiocinio ego, & pauco experimentorum numero firmare annisus sum, deciderant, decisamque orbi exponerent delusam sors plures dicent. At reclamitant medici & numero & vulgi saltem opinione non minores.

4) Potum acidum, frigidiusculum actu, decoctum corticis cum acidis mineralibus junctum optime convenire existimo.

5) Corticem omnes laudant unanimiter, quomodo ergo aliqui simul copiosas venæ sectiones instituere possent? an una manu non

destruunt, quod altera ædificant? an in corpore fere exsucco jam ante morbum venæ sectio, eaque frequens indicatur?

6) An camphoræ vis non propius accedit ad corticis virtutem, quam venæ sectio?

7) Qui corticem laudant magna certe laude dignum, lata vesicantia, locis vesicante tentatis digestiva, erodentia adplicant. Ipsemet ego expertus sum, quam valide hæc omnia sanguinis circulum incitent. Certe camphora putredini resistet, æque ac cortex, & minus fortiter humorum motum incitavit, quam vesicantia.

8) Est, ubi camphoræ vis incitans præter illam antisepticam, subinde directe indicatur.

9) Cavendum sedulo, ne in epidemiis *febrium biliosarum* intercurrentes febres *simplices inflammatoriæ* aut *inflammatorio-biliosæ* confundantur cum *simpliciter biliosis.*

10) In morbis biliosis, aperto cadavere reperiuntur viscera gangrænosa persæpe, subinde valide rubentia. Sed an inde *veram inflammationem* prægressam judicabis, aut ex parte adhuc præsentem? Gangrænam dari ex putredine humorum præcedente, & stasi eorundem non inflammatoria certum est. Præterea humoribus solutis, attenua-

nuatisque in minora vascula irruentibus imago *inflammationis*, ſed ſpuriæ, exhibetur.

11) Ex *diſſoluto ſanguine*, ſanguinis mictum, hæmoptiſin, narium hæmorrhagias non criticas in morbis putridis, bilioſisque oriri certum eſt.

12) At in plethorico corpore, robuſtoque ob humorum nimiam copiam, nimiumque motum in *morbo inflammatorio* eadem oriri, ſcilicet mictum ſanguinis &c. certum eſt; *ibi* non valet venæ ſectio. At *hic* eſt unice neceſſaria, niſi ſenguis hac ipſa via ſat copioſe evacuetur. Illa ſymptomata *maligna* proprie ſunt, hæc autem non ſunt.

HISTORIA XXVIII.

Febris bilioſa.

Dominus F*** 58 annorum antea ſanus, die Sabbath 11 Sept. mane validum frigus calores dein a meridie ceſſantes habuit. Do lor capitis, ſitisque; dolor lumborum & tendinum genu flectentium.

Die Dominica, 12 Sept. Apyrexia; perfecta an inperfecta non ſcio, ſicut neque ſcio, quales habuerit noctes.

Die lunæ 13 Sept. Paroxyſmus uti die Sabathi ſed validior, cum conatu ad vomitum, ſed inani.

Die 14. Sept. Intermiſſio aut remiſſio.

Die 15. Sept. a meridie calores magni, dolor lumborum, tendinum genu flectentium, capitis; ſitis. Calores ſi die jovis & veneris (16. 17. Sept.) uti & Sabathi continui ſunt; aucti tamen ad veſperam.

Die autem Sabathi ad veſperam ſoporoſus eſſe incepit, ſimulque inquietus, continuo ſeſe jactitando, ſic noctu & die ſequenti Dominica, ubi illum prima vice vidi. Ad veſperam moritur. Facies poſt mortem flava, quaſi ceracea. Nulla alvus per quatuor dies.

Notæ & epicriſis. Obſervavi in Domina K*** item in Domino C*** in Domina M*** in Parocho K*** febres autumnales bilioſas cum vomitu, aut cum cholera conjunctas ſe ipſas conficere *evacuando materiam bilioſam*, que febrim excitat.

2) Febres ſpontanea hac evacuatione curatæ raro recidivant. Præprimis, ſi poſt ultimum paroxyſmum emetico - catarrſis datur, & dein medicamentum roborans, antibilioſum, uti e. g. Liquor anod. min. Hoffm.

3) Febres absque vomitu aut diarrhea diutiur durant, uti in parocho Visſienſi, aliisque vidi, quarum febres ſucceſſive per ſudores judicatæ ſunt; præterea facile abeunt in *febres acutas bilioſas*, ſi videlicet materia bilioſa accedente paroxysmo non poſſit deponi ad primas vias, utpote altius infixa humoribus circulantibus. Aut ſi depoſita jam ad primas vias materia denuo reſorbeatur.

4) In domino H*** vidi tertianam absque vomitu aut diarrhœa. Datur remedium emeticocatharticum ſat validum. Rediit paroxysmus. Datum roob ſambuci poſtmodum copioſam bilem eduxit. Tandem datur cortex. At ſæpius ſub ejus uſu & poſt eundem (quem ad 16. propemodum dies produxit) dolorem capitis ad veſperam, ventriculi gravamen a paſtu etiam non largo, bradypepſiam, ſudores nocturnos copioſos ultra menſem expertus eſt.

Item domicella de K*** cujus febris tertiana cum cholera ob vires valde dejectas cortice curata eſt, febriles reliquias diu ſenſit, diu ſolventibus poſtmodum & cortice ſimul uſa eſt. Hac binæ hiſtoriæ oſtendunt febres autumnales bilioſas cortice ſiſti non debere, niſi ſymptoma quoddam graviſſi-

mum urgeat. Paroxysmus quidem ſuffocatur, at materies febrilis remanet, difficulter poſtmodum per varias excretorias vias abigenda. Poſt talem febrim cortice curatam diu adhuc valetudinem curare coguntur, ita, ut, licet paroxysmus cito emaneat, tamen ob valetudinarium a febri ſtatum nihil lucrentur. Quodſi per varia excretoria loca materia febrilis non ſucceſſive evacuetur, illa intus remanens febres acutas bilioſas excitat, uti ante annum contigit in Domino Th. O***.

5 Curandæ ergo veniunt *febres cum vomitu; cum cholera, absque vomitu aut cholera, ex intermittentibus aut remittentibus continuæ* factæ continua vel eſt *in ſuo incremento, humoribus ſcilicet necdum putridis;* vel in *ſuo ſtatu, putredine* jam inducta.

6) *Febres cum vomitu aut cum cholera* indicationem ſubminiſtrante, acida, ſolventia danda ſunt, & de cetero ſibi permittendæ. Poſt ultimum paroxysmum purgans acidum per epicraſin, aut emetico catarrſis, & demum roborans dari debet antibilioſum, ut Spiritus nitri dulcis, Liquor anodynus min. Hoffmanni. Febres hæ poſſunt etiam tractari, ut diebus liberis vomitorium aut purgans

detur,

detur, si vomitus ille febrilis aut inanis esset; aut insufficiens.

In febribus absque vomitu aut cholera dandum die libero emetico-catarticum idque, si æger id ferret, sæpius; aut ad initium emeticum, reliquis diebus liberis catarrticum antibiliosum, lenius aut validius pro ægri viribus; sic enim evacuabuntur sordes primarum viarum, & facta ibi irritatione reliqua materiæ pars illuc ruet, evacuanda. Finitis omnibus dandum roborans.

Ubi intermittens aut remittens actu in continuam transit, juvat *emeticum; emetico-catarticum, catarticum*, præmisso tamen oxymelle solventissimo, dein *catartica leniora* antibiliosa alternent cum acidis mineralibus ita ut uno die ʒij — ℥ß &c. cremoris tartari dentur in syrupo ribes: altero die vero spiritus sulpturis per camp. tertio die denuo spirit. minerat. Sic derivatio materiæ ad primas vias, & evacuatio fiet, simulque præpeditur putredo humorum.

Ubi in continarum harum statu putredo jam adest, juvabant acida mineralia copiosa, decoctum corticis, camphora subinde.

7) Ad has febres disponit calor æstivus, aut potius squallor. Hoc tempore &

in me & in aliis obſervavi ventriculum debiliorem longe; diæta carnea, pingvis debili ventriculo noxia; diſpoſitio ad putredinem.

8) Præſervatio ergo patet; alvum lubricam ſubinde reddere purgante leni acido & hoc prægreſſo aliquid, quod & putredini reſiſtit, & ventriculum roborat. Sic eſt *eſſentia amara* ex amaricantium extracto & ſpiritu nitri dulci parata, item *liquor anodin. miner. Hoffm.* Item ſi ſtomachæhi gravamen, ructus amari, nidoroſi ſentiantur emeticum valet, & poſtea, quæ ventriculum roborant. Univerſalis autem diæta tenuis non pinguis, & potiſſimum vegetabilis.

Conſtitutio automi anno 1773.

9) *Conſtitutio autumni anni* 1773. Menſe Auguſto bilioſi morbi omnis generis ingreſſi ſunt, attamen magis ſevierunt menſe Septembris: potiſſimum vero febres tertianæ ſpecies cum vomitu aut cum cholera. Menſe hoc Septembris, multos aut vomitu aut diarrhæa, aut cholera per aliquot dies affectos vidi absque febri tamen. Æſtas cum initio autumni (etenim hæc ſcribo die 19. Septemb.) calida & ſicciſſima, absque pluviis fuit. Exaruerunt fere omnia olera in hortis.

10)

10) *Ex Tiſſoto de febre birioſa Lauſanenſi.* Ingens febrium numerus valde contrahitur, ſi omnes febres reducantur ad *intermittentes*, *inflammatorias*, & *putridas* & *ex his compoſitas.*

Nomina non ex *ſymptomate* ſed ex *cauſſa* petenda ſunt.

Inter bilioſas febres recenſeri debent ſequentes; hæmitritæi, & triteophiæ veterum, meſentericæ recentiorum, imo typhi omnes, lypyria, aſodes, hungarica, gaſtrica, cauſus.

Cauſam, ſive febrem ardentem Boerhaavius deſcribit quaſi *inflammatoriam* totius maſſæ ſanguinis, eſtque juxta ipſum *inflammatio totius maſſæ ſanguineæ*; alii cauſam inter febres bilioſas referunt.

Soli *morbi inflammatorii* dies criticos obſervant, ſed tunc quieſcendum & medico & ægroto, nilque temere movendum.

Ergo in putridis morbis criſis non expectanda.

Digeſtiva ſunt, pulveres ex terra foliata tartari, tartaro vitriolato, cremore tartari omni bihorio ſumendi, cum unciis quatuor decocti ex radice graminis, acetoſæ, cichorei, taraxaci, oxymelle &c. Nauſeoſus graminis ſapor corrigitur additis aliquot fruſtulis

lis corticis viridis citri. Aut conditum antibiliosum dari potest ex syrupo ribes. & cremore tartari; post duos tresve aut quatuor dies emetico-catarticum remedium optime ex tartaro emetico in aqua soluto & addito aliquo syrupo *partitim* exhibito praescribitur. Tunc autem omni semihora portio dari debet.

Medicamenta roborantia post morbum adhibenda praebent amaricantia vino infusa.

In febribus biliosis non diu insistendum evacuantibus; post evacuantia dari debet decoctum antibiliosum *parce* sed *frequenter* vel electuarium antibiliosum.

Juveni soporoso, diathesi phlogistica laboranti Boerhaavius praescripsit cerasa pro victu quotidie ad ℔x. Post primam emeto-catharsin dari etiam potest potus acidus, leniter purgans.

Pro potu ordinario *antibilioso* & roborante modice serviunt spiritus minerales acidi, cum aqua pura, vel decocto radic. & fol. acetosae, flor. ros. rubrar. & syrupis acidis.

Ex Tissoto. In febribus biliosis emollientia, calida nocent. Nam ubi putredo, ibi atonia & laxitas.

11)

11) In hiſtoria Domini F***. notandum adhuc, pulſum fuiſſe naturali celeriorem, ſed non adeo tamen multum; non fuiſſe durum, nec parvum, ſed mollem; adparet ex reſorpta bile eundem periiſſe, fors dato vomitorio, dum intermittens in continuam abiret, multum bilis evacuari, reliquum autem ad primas vias determinari potuiſſet.

12) Morbos inflammatorios pauciſſimos obſervavi hoc tempore autumnali. Aliquos vidi *febre inflammatorio - billioſa* laborare. *Inflammatio* brevi & facile venæ ſectione ſublata eſt; ſed morbus *bilioſus* emeticis, purgantibus, acidisque pulſa inflammatione curari debebat. Minime pertinacem vidi inflammationem, & poſt paucos dies facile abeuntem.

13) Olea, oleoſa, emulſiones nocent in morbis putridis, præcipue in bilioſis. Emulſiones interim in inflammatoriis omnem abſolvunt paginam. *Ex Tiſſot.*

14) Delirium bilioſum tollitur alvum ſollicitando melle & aceto. *Hippocr. de affection.* Fœs. p. 818 ait: *in delirio bilioſo alvus curanda, acetum, mel, & aquam exhibendo. Tiſſot.* Utilis, nec ſatis notus libellus eſt Cl. Richa. conſtitut. epidem. Taurin. anno 1720.

15) *Si quid doluerit ante morbum, ibi ſe figit morbus* art. Hippocrat. l. IV. Aph. 33. patet hinc uſus veſicantium.

16) Feſtinatio nimia, ſolutione & coctione non præmiſſa per ſolventia, & methodus roborans adſtringit, inducit recidivas, aut obſtructiones, hecticam.

HISTORIA XXIX.

ad initium Septembris.

Febris rem. bilioſ.

Dominus O***. Ante bene per omnia valuit. A meridie dolor lumborum & tractiones in dorſo, calores ſubſequentes. Nox bona. Nullus vomitus, nulla diarrhæa.

Secundo die. Mane calores magni, *dolor magnus* lumborum, nullus dolor capitis, vomitus bilioſi. Ad veſperam remiſſio. Sed caput ſtupidum, mens vix ſibi conſtans. Fuit omnium graviſſimus, licet non fuerit omnium longiſſimus paroxysmus.

Tertio die. Vomitus mane cum æſtu magno, deinde diarrhœa, lumborum dolor, caput uti heri; diuturnior, ſed paulo mitior paroxysmus. Nox inquieta.

Quarto & quinto die, uti tertio. Poſtmodum autem nullus amplius paroxysmus rediit. Nam

Sex-

Sexto die summo mane surgens alacrio-
em se advertit, nulla febrilis alternatio se-
uta est.

Notæ. Toto tempore aliud non sum-
it, quam pulveres digestivos paucos &
xigua copia. Videmus ergo satis tute &
bsque recidiva curasse naturam; ad finem
eptembris nullam adhuc recidivam habuit,
uamvis de aliquo adhuc superstite lumbo-
um dolore quereretur.

Narravit mihi ægrotus iste dolorem lum-
brum vix non *intolerabilem* fuisse. Idem
domina senior de M***. dixit; item coquus
i petechiis mortuus.

Notæ. 1) Febres cum vomitu bilioso
spontaneo omnium optimæ sunt, meren-
turque nomen proprie *biliosarum*, cum bi-
lem potissimum evacuent.

2) Graviores sunt illæ cum cholera, ob
nimiam, quam inducunt, humorum educ-
tionem.

3) Febres cum diarrhœa sola redeuntes
non observavi. Tales autem *Torti* & *Medicus*
observarunt tempore autumni calido & pluvi-
oso post siccam admodum æstatem, erant eæ
admodum *periculosæ*; distinguuntur ab iis,
quas ego cum cholera conjunctas vidi, *primo*
potiori putredinis in humoribus gradu. *Secun-*
do

do item per hoc, quod non ſola bilis *cor*-
rupta aut *nimia* eſſet, ſed quod omnes fer
humores ad putredinem diſpoſiti proxim
eſſent, & transpirabilis materia retent
Hinc letalitas illarum, hincque etiam cort
cis neceſſitas, qui putredinem fere univer
ſalem præpediret. *Tertio* evacuationes ſpon
taneæ in meis febribus erant quaſi *criticæ*
in iis vero a Torti & Medico deſcriptis erar
ſymptomaticæ a ſolutis, putridisque humo
ribus ad inteſtina amandatis ortæ. Hinc to
ta ſpecie differebant. Conveniunt illæ a *Ti*
ſoto deſcriptæ ſub nomine febris bilioſæ Lau
ſanenſis cum meis febribus, ſaltem quoa
cauſam.

HISTORIA XXX.

Die 23. Sept.

Febris tertiana inflammatoria.

Dom. Capitaneus in B***. ætatis viril
ſemper antea ſanus, leves gonorrheas qua
das ſi excipias, debite ſemper curatas, te
tiana intercurrente circa 20. Septembris pr
henditur. Frigus mite, calores diuturn
non adeo tamen vehementes, *nulla affec*
ſyſtematis gaſtrici ſigna. Poſt ſecundum p
roxysmum primo graviorem chirurgus v
nam ſecat. An ſanguis cruſtam habuerit

nec c

nec ne, non potui rescire. Tertius paroxysmus exiguus admodum fuit ita, ut utrum fuerit aut non fuerit ipse dubitaret æger. Quartum paroxysmum dum expectat, eo die mane, quo tempore alias paroxysmus redire solebat, sumsit dosin rhei. Circa meridiem quater aut quinquies alvum posuit. Sed calores accessere magni, quos in nullo paroxysmo tam vehementes expertus est. Sitis immodica. Dedi, tunc prima vice vocatus sequentia.

℞. Radic. Gramin.
— — Cichor.
— — Acetos. āā ℥iij.

C. C. D. U. divid. in part. iij. Singulam coquat cum ℔vj Aquæ ad remanentiam Libr. iij. Quater de die duo vascula cum syrupo sequenti.

℞. Oxymell. Simpl.
Syrup. Acetos. citri āā p. æquales.

Nota. Febrem hanc non esse ex biliosarum familia, patet ex absentia signorum affectas primas vias significantium. Item levamen ex venæ sectione; fuit ergo potius ex illo vernalium hujus anni genere, quæ, cum morbi fuerint proprie inflammatorii, intermittentes tamen persæpe æmulabantur, donec in continuas abiverint, ni tempestive venæ sectio

facta fuerit. Adeoque tertiana hæc ad intercurentes hujus autumni pertinet.

HISTORIA XXXI.

Die 25. Septembris.

Ulcus cutaneum.

Dominus Mich. T*** 78 annorum. Vir per omnem fere vitam sanus, nullis adsuetus medicamentis, inferiorum partium versus Turciam incola per multos annos, ante annum mense Augusto aut Septembri, per integrum mensem nigerrimam urinam integro mense mingit, cum aliqua inappetentia, & frequenti ad mingendum stimulo, eoque non frustraneo. Sponte hæ urinæ in bonam indolem mutatæ sunt. Sed in femore utroque scabies quædam cum pustulis exiguis, prurientibus (spizige, trokne Kraeze,) adparuit, postmodum pruritus in toto corpore. Unguentum album simplex cum pauxillo mercurio præcipitato aliusque repetentibus exsiccata scabies aliquoties est, denuoque rediit. Idque priori hyeme, hoc vere, & per æstatem hanc fuit. Semel ad femur dextrum intra trochanterem majorem parva sponte exulceratio facta est ex pustula livescente. Exsiccantibus sanatum ulcusculum; nunc vero in natibus dextris ante tres septimanas pustula

a magnitudine avellanæ, livescescens orta nte in ulcus abiit hujus indolis. Circu-s fere figura, diameter duos cum dimi-i pollicis æquat. Non profundum, ſed ngiam valde foraminulatam exacte refe-s. Carnes livescentes, atræ lineolæ. nullum ſed ſerum tenue flavescens, & ad paucas horas cohibeatur, ſanguis con-o quaſi ex ſpongia ſtillans, tenuis &. Vires dejectæ, inappetentia magna. s continua, quam quidem toto vere & ate habuit, moderatiorem tamen, fœto- nec ego ſenſi, nec alii. Per æſtatem m hucusque urinæ incontinentia, ita, otium paulo copioſius collectum retinere valeat. Hinc mictus frequens, invo-arius. Chirurgos exſcindere totum vo-es variis ex cauſis prohibui. Ulceri an-tredinoſa, & exſiccantia curavi adpli-, dedique decocta ſanguinem corrigentia, antiſepticum corticem peruvianum. Ho- (die 29. Septembris) poſt tres ſcilicet isceſſu meo dies mortuum audivi, coa-ente ut quidam referebat, ſeu potius (ut i quidem videtur) *exſiccato* ulcere.

De obſtructione viſcerum.

De Viſcerum obſtructionem.

Indurationes, obſtructiones diverſæ ciei ſunt; morbi inflammatorii male ju-

T 2 di-

dicati ſcirrhos faciunt ex lympha per infl
mationem coagulata & indurata. Diffi
me ſolvuntur.

Si pinguedo alicubi præter naturam
geatur, condenſeturque, *ſteatoma* fiet,
ſolubile.

Si bilis exſiccetur, *tumores biliosi*
untur, ſæpe valde duri. Sed ſi *acrim*
humorum ibi ſubſiſtentium adſit, ut pler
que in *durioribus tumoribus hepatis*
ſolet, juvant pilulæ ex gummi galba
mirrha, extracto chelidonii majoris,
pone veneto aut pro re nata Starkeya
ſuperbibendo potum ſolventem & adhi
frictionibus hypochondriorum, & len
interpoſitis ſubinde laxantibus, ſi ſcil
ſymptomata doceant materiam fuſam.
ſi acrimonia major adſit, mitius aggredi
lum debemus. Ubi eſt atra bilis inſpiſſ
calculi indurati, ſpaſmi, dolores, gumm
antiſcorbutica, ſapones alcaleſcentes & ac
res, ſalia contraindicantur. Tunc vero
lent ſapones aceſcentes, vegetabiles, ſ
recenter preſſi fumariæ, cichorei, tara
graminis, ſonchi, ſenecionis; ipſa folia
turando in pultem redacta cum ſyrupo a
qualicunque. Serum lactis, & præſtan
lud Hippocratis remedium hydromel
plex.

M

Medebatur viro atrabilario *Tiſſotus* tu-
re duro jecinoris, diris torminibus, ca-
e, agrypnia, debilitate, alvo ſegni du-
maque laboranti; dedit illi omni bihorio
chmas tres electuarii ex tenerioribus fo-
ſenecionis & taraxaci, medulla caſſiæ,
nna & ſyrupo rubi idæi; ablegata eſt omnis
ta carnea. Olera fructusque horei &
ile hydromel alimenta præſtabant.

Stimulantia aut purgantia inumeras ob-
ctiones inſanabiles reddunt, mitiori me-
do curandas.

Eſt quædam ſpecies obſtructionis ex
*nia & ſuccis ſtagnantibus nondum con-
tis orta*, *tonicis* curanda. Plures ſunt
ſtructiones, ubi tonica nocent. Si adſit
citas, macilentia, ſenilis ætas; incautus
s gummoſorum, aloes, martis, ſpirituum
. nullum unquam reſeravit vaſculum, ſed
pe atrophiam & paralyſin induxit.

Si obſtructiones adſint cum acrimonia
jori, valet extractum taraxaci cum cremore
tari, ſuperbibendo decoctum graminis cum
lle. Solutis, eductisque humoribus *ro-
randum* neceſſario corpus eſt, alias ob
oniam certo recidivat.

Chocolada pinguis & aromatica eſt.

Pilulæ ex ſapone veneto fugiendæ ſu ubicunque putredo timenda.

Inter viginti deliria (ait *Tiſſotus*) no vam exceptam velim fatuitatem, tum acu tum chronica, octodecim ſunt ex hypocho driis, quod probe tenendum, ne ſaltem gris noceamus, quibus prodeſſe tam ardu & tam rarum.

Ratio eſt, quia cerebrum ab obſtruc hepate ſympathice; a bile vero ſangu mixta idiopathice afficitur.

In delirio tali a bile ſanguini mixta obſtructionibus hepaticis orto, venæ ſect & omnis generis refrigerantia nocent. Vi Hippocr. de intern. affection. Cap. LI. Foe p. 558. vocat *morbum craſſum a bile, cu bilis in hepar influxerit & in capite conſi ſterit*: morbum ait helleboro nigro, aqu melle & aceto curandum. Forte Antiq helleboro nigro uſi ſunt eodem modo qu *Tiſſotus* in hoc morbo; ſcilicet is decoct graminis citrato aliquas fibras hellebori nig injici curavit.

Alterum Plumerianum cum milleped bus ſaccharo & camphora, egregium inver tum eſt in ſcrophulis a Tiſſoto. Campho ram dicit certis tam ſuis quam aliorum ex perimentis *antiſalivatoriam*. Ait tamen ſ

non

on femper prohibere falivationem, plures
nim fcrophulofos tumores glandularum tra-
healium, jugularium & maxillarium evacua-
one hac fcilicet fanaffe.

Subitum illud poft febres incrementum
otante Tiffoto, finiftri quid fere femper
ortendit: fiunt enim inde debiles, per plures
nnos languent, & fæpe tabe corripiuntur.
'alent corroborantia, china, chalyps. vina
enerofa, exercitia, frictiones &c. & præ-
rimis balneum frigidum.

In propinandis roborantibus id atten-
endum, ne ftatim adftringentia valida ore
ffumantur. Proderit frictiones, & exerci-
ia præmittere & a levioribus tonicis inci-
er; in laxis abdomen inprimis refpicien-
um,

Elixirium vifcerale, & amara quælibet
ino digefta optime dolores ventriculi poft
ongam infirmitatem tollunt.

Vide apud Tiffotum de febre biliofa Lau-
annenfi Dominam odontalgia & infomniis
er fedecim menfes vexatam, quam fruftra
adhibitis evacuantibus & refrigerantibus to-
nicis, aromaticis, amaris vino infufis cu-
ravit. Fors etiam oculorum ille rubor,
quem potione vini curabilem dixit, ob de-
bilitatem partium tonicis curatur. Vigiliæ

pertinaces post diuturnos morbos curantur curatione languentis ventriculi. Somnus enim a stomacho pendet, qui si langueat, spiritus naturales ad concoctionem assumptorum a capite non avocat, adeoque somnum non inducit.

Post longas infirmitates quasi leviorem febrim hecticam observavit Tissotus, ob laborem videlicet nutritionis. Sensatio illa *caloris* non a febri, sed ab acrimonia humorum ob atoniam non bene subactorum provenit. Juvant solum roborantia. Ergo ex sensatione *caloris sola* pessime refrigerantia præscribuntur.

Ægri sæpe queruntur de *calefactione* (echaufement) caloribus ascendentibus. Plerumque autem tales calores proveniunt ab atonia, cruditate, acrimonia &c. curanturque china, chalybe, vino. *Vera calefactio* est affectio opposita, estque levis inflammatio.

Tissotus ante viginti & sex menses fila pure varioloso tincta, adhuc efficacia invenit.

Post febres biliosas male curatas sæpe succedit *cacochymia biliosa.* Diarrhœas biliosas curant evacuantias & acida.

Meteorismus hypochondriorum non ab obstructionibus, sed a bile turgida, putrescente, indeque evoluto copiose aëre curavit

vit Tiſſotus aqua fontana frigidiore, adplicando ſcilicet lintea quadruplicata inde madida, ſingulo horæ quadrante renovanda, toties hauriendo uncias tres ejus aquæ. *Zacutus Luſitanus* colicam a cacochylia bilioſa ortam hac ratione ſanavit. Eadem cacochylia bilioſa ſubinde vomitum, diarrhœm, choleram, colicam, nunc volvulum, nunc dyſenteriam, nunc tympanitidem, nunc apoplexiam cauſſat. De aquæ frigidæ uſu in febre ardente vide uſum Antiquorum apud *Tiſſotum* de febre bilioſa Lauſanenſi p. 92. deſcriptum.

De convulſione vomitu bilioſo curanda vide locum Galeni apud *Tiſſot.* ibid. Legi meretur ob obſervata vix apud recentiores invenienda integrum opusculum *de affectorum locorum* notitia. Lib. V. Caput V. Operum omnium T. IV. p. 125.

Morbi nervorum facile in conſuetudinem abeunt, oriuntur poſt acutos graves utplurimum. Solam in iis medelam dant roborantia, ablato prius, ſiquis adſit, ſenſibili ſtimulo. Hucusque ex *Tiſſoto.*

Obſervationes æſtate & autumnò anni 1773 factæ.

Obſervationes de febre epidemica anno 1773.

Frequentior matrimonii uſus, aut pollutio nocturna frequentior æſtate hac ſicciſſima ſquallidaque, & ejusdem indolis autumno, corporibus paulo debilioribus inſignia nocumenta attulit.

Menſe autumno jam adulto, & ſeptembri toto, in me aliisque temperamenti bilioſi hominibus autaliis etiam conjuscunque temperamenti, ſed morbo bilioſo antea laborantibus obſervavi a diæta carnea male ſe habere, coctionem impeditam, ructus pingues, linguam muco ex albo flavescente aut etiam albo obductam, os aut amarum, aut inſipidum; in quibusdem ſudores nocturnos, faciem macilentam & colorem pallidum, aut flavescentem leviſſime, urinam coloratiorem & brevem poſt moram jumentoſam. Hi omnes nullo excepto melius ſe habent a cibis aut acidis, aut aceſcentibus, farinaceis, ſi pingues ob admixtum butyrum hi cibi ſint, pariter eosdem non ferunt.

Vidi recidivas multas in iis, qui febre bilioſa ſive intermittente ſive remittente laborarunt, ex multiplici ratione. Aliqui enim, quibus ſpontanea facta bilis evacuatione morbus ceſſavit, *ob reliquias ejusdem materiæ* remanentes, ſenſim ſenſimque auctus par-

tim ob diætam carneam, partim ob persistentem eandem siccam, squallidamque anni constitutionem, denuo recidivam passi sunt.

Alii debito modo curati, evacuata penitus biliosa materia, ob persistentem caussæ actionem, tempestatem videlicet siccam & squallidam, eandem pariter effectum passi, non quidem *recidivam in sensu stricto*, sed similem tamen morbum, biliosum videlicet.

Alii cortice intempestive dato curati sunt, seu potius suppressa febris est, manente nihilominus febrili materia. In his evanescente corticis vi mota, denuo est materia biliosa, passique sunt recidivam.

Res pervulgata est, febres cortice curatas recidivare, si evacuatio aliqua fiat post ultimum paroxysmum. Quod, quando verum deprehendatur, aut non, modo dispiciendum est. Si febrili materia penitus evacuata, post frequentes paroxysmos debilitas nervorum orta sit, iisque character febrilis impressus maneat, & modo ex sola contracta consuetudine febriles paroxysmi redeant, cortex & specifica sua vi & vi roborante febrim fugabit; quod si post curatam talem febrim evacuatio aliqua fiat, recidiva sequetur,

tur, ob eam videlicet caussam, quod omnis evacuatio debilitet.

Contingit sæpe, ut manente licet febrili materia cortex febrim sanet, ubi interim materia febrilis, si *mobilis* illa sit, & *facilius subigi* possit, a roboratis naturæ viribus cogitur & per varias vias abigitur postmodum. Sic post quartanam cortice curatam, vidi spontaneam diarrhœam, absque recidiva, sic sudores nocturni, urinaque multum materiæ hujus febrilis sensim coctæ expellunt. Si citius ab usu corticis post ultimum paroxysmum desistas, remanentes materiæ febrilis reliquiæ denuo febrim excitabunt. Si vero evacuatio fiat post ultimum paroxysmum, coctionem materiæ febrilis utplurimum impedies, debilitatis videlicet naturæ viribus. Sicque denuo insurget febris. At si videas motum naturæ materiam febrilem expellentis, hancque evacuationem a materia indicatam, inchoatamque adjuves, adeo nullus recidivæ metus est a tali evacuatione, ut etiam tali evacuatione recidiva præpediatur. Sic in exemplo febres biliosæ tempestivius, quam oporteret, aut etiam ob urgentem aliquam circumstantiam citius cortice curatæ, purgantia acida per epicrasin post ulti-

ultimum paroxysmum danda non tantum admittunt, ſed etiam poſtulant.

Multi autumno aut adulta jam æſtate venæ ſectionem celebrant. Sub nomine *præſervativi* res hæc jam in conſuetudinem ferme univerſalem abiit. Quid de *præſervativis* ſtatuam, alibi disquirendum reſervo. At venæ ſectio hoc tempore facta omnium minime præſervat ab hujus conſtitutionis morbis; admitti illa ob alios morbos id exigentes poteſt Conſtitutiones hujus morbi ſolent eſſe *putridi* & in ſpecie *bilioſi*. Præſervat ergo victus tenuior, vegetabilis, acidus, purgans lene, acidum, e. g. ex unciis duabus pulpæ caſſiæ. Evitatio inſolationis, vehementioris ſub ſole motus, perfrigerationis &c.

Venæ ſectio fieri debet primo præſente plethora, ineunte, aut crudo adhuc morbo inflammatorio, poſt vehemens exercitium, inſolationem, caſum, in ſubjectis tantum non ſtricte quidem plethoricis, ſed robuſtis, ſanguineis, vegetis. Adeoque plethora, inflammatio, & rigiditas, caſus ſunt, qui venæ ſectionem indicant.

In morbis bilioſis gaſtricis *depletis majoribus venis, facillime poterunt minimæ venæ bilulæ abſorptos humores majoribus venis*

nis tradere, unde promptior fiet putridi resorptio. Van Swieten T. I. §. 354. huic doctrinæ initur methodus ſugillationibus & extravaſatis medendi.

Libellum *de termino venæ ſectionis in acutis* egregium omnino ſcripſit. *Cl. Kloekhoff.*

In morbo inflammatorio tamdiu venæ ſectio locum habet, quamdiu morbus adhuc *ad inflammatorios* pertinet, ſi enim jam transiverit *in putridum*, genita aut *purulenta cacochymia* aut *nata jam gangræna*, venæ ſectio *vaſa laxando*, debilitatem *inducendo* &c. putredinem promovebit. *Tiſſot.* Ergo ſigna crudæ phlogoſeos bene diſtingui debent a ſignis incipientis putredinis aut *purulentæ*, aut *gangrænoſæ.*

Angina levior, otalgia, odontalgia, ophthalmia *veſicante*, aut ſaltem *rubefaciente* melius tolluntur, certe *ſecurius*, quam venæ ſectione, quæ in debilioribus, licet votis reſpondeat, attamen graviora alibi mala inducit.

Vidi in remittentibus autumnalibus anni 1771 & 1772 a medicis non ignobilibus venæ ſectiones frequentes celebrari, darique corticem. Febris ceſſavit ſæpe, ſed in languorem diuturnum incidebant. Febris a cor-

tice

tice ſublata & languor a venæ ſectione inductus.

Peripneumonias bilioſas anni 1753 *Tiſſotus* curavit, per dilutam emeſim, frequentia enemata, copioſum potum diureticorum acidorum, & frequenter inſpirabatur fumus aceti *omiſſa ſemper venæ ſectione.*

Invenimus ubique apud Hippocratem febres bilioſas deſcripras, & curatas purgantibus, oxymelle, ptiſana, nullibi autem venæ ſectio. *Tiſſot.*

Sanguinem in cacochymia bilioſa attenuari, hinc omittendam venæ ſectionem *Tiſſotus* & *Hippocrates* ait.

In inflammationibus, ſi prævalent cacochymia, alvum ducebat *Hippocr.* Venam non ſecabat. *Tiſſot.*

In ſputo ſanguinis vetat venæ ſectionem ſi bilioſus eſt æger: *de humoribus.*

Venæ ſectio refrigerat, ſi calor a ſanguine provenit, nequaquam vero, quando a cacochymia; imo apparet manifeſte corpus ex bilis copia excalefactum miſſo ſanguine calidius reddi. Proſper Martianus.

In morbis bilioſis, lipyria biliari, peripneumonia, pleuritide bilioſa, nulla fiat venæ ſectio.

Ta-

Tabes illa pessimæ speciei est, ubi nulla ulceratio, sed tanta pulmonum laxitas, ut omnes affluentes & stagnantes & mutati humores cum orthopnea, sub crudi glutinosi forma ejiciantur. *Tissot*.

Liquor anodin. min. Hoffmanni, si superbibatur haustus tepidus, præstans remedium est post animi pathemata. *Tissot*

Tartarus emeticus parva dosi magna aquæ cujuscunque copia, alvum ducendi scopo optimum est remedium, non nimis irritans, sicque mitioribus anteponendus salibus *Tissot*.

Utile & amœnum diarium scripsit Cl. *Vandermonde*. *Tissot*.

Phrenitides cum pulsu forti, tenso, lento sanantur, vix vero cum exili & celeri. *Tissot*.

In synocho enim putri si æger esset eusarcos, juvenis, cœli status æstuans, febris vehementissima, in frigida natationem permittebant.

Sennertus de febribus L. II. cap. X. p. 290.

Lege in nota apud *Tissot*. de febre bilios. Lausanens. p. 112. plures authores qui de psychrolusia scripserunt.

Hæ-

Hæmorrhagiæ ſpontaneæ in morbis bilioſis, putridis, oriuntur ex diſſolutione ſanguinis & atonia vaſorum, & ſæpe letales ſunt. *Tiſſot.*

Frequenter in morbis etiam bilioſis per aliquot ſaltem horas levamen habetur a venæ ſectione: ratio eſt, quia vires per venæ ſectionem depreſſæ ſunt, potius ergo *debilitas virium*, quam levamen eſt, nilque concludi inde pro venæ ſectionis neceſſitate in morbis putridis poteſt.

Febres *inflammvtorio-bilioſas*, quamvis ille eas *bilioſas* appellat, deſcribit *Pringle*, item *Hippocrat* de victu acutorum cpt. XXXVI. Fol. p. 396.

Cacochymici raro inflammationibus laborant, ſaltem nunquam diuturnis aut pertinacibus, ſed mox in putredinem abeunt. Scrophuloſi, ſcorbutici, venerei ſæpe falſa, vera nunquam vexantur inflammatione, quæque methodo antiphlogiſtica exacerbatur. *Tiſſot.*

Jam notaverant veteres duplicem dari lipyriam, aliam *phlogiſticam*, *bilioſam* aliam. In prima primo venæ ſectio, & demum antibilioſa; tunc ſcilicet ſi coctio facta ſit, purgans antibilioſum proderit. *Tiſſot.*

Gangrænam fieri in morbis inflammatoriis post *nimis eductum sanguinem*, ob stasin ex debilitate & inanitione ortam, certum est; ergo a duplici & opposita caussa gangræna fieri potest, scilicet si stasis humorum fiat ob nimam humorum quantitatem, & iterum ob eorumdem defectum. Hinc intelligitur, qua ratione legantur profuisse remedia calida in morbis inflammatoriis, & speciatim camphoram. Si enim inflammatio adsit, aut potius incipiens jam gangræna post *nimiam* humorum evacuationem, aut si in defectu sanguinis tamen alicubi oriatur inflammatio, camphora proderit. Nam etsi cum *nimia* sanguinis copia inflammatio jungatur utplurimum; tamen in hominibus debilitatis, inanitione potius quam plethora laborantibus, inflammationem oriri posse, facile demonstrabitur. Sicut ergo in primo casu venæ sectio prodest, quatenus materia phlogistica in motum tali ratione ducitur, sic in secundo casu venæ sectio nocebit, camphora proderit, stasin inflammatoriam humorum ob defectum sanguinis a tergo impellentis ortam, subjectis camphoræ stimulis sollicitando. Idque eo magis proderit, quod inflammatio ex tali humorum defectu

orta

orta facillime in gangrænam abeat, cui camphora potenter resistit.

In epistolis anatomico-medicis *Cl. Morgagni* leges inflammatas partes varias in corporibus debilibus, effœtis &c, sic e. g. epist. anatomico-medica XXX. No. 17 & epistol. XXXVI. No. 11 & 13, item epist. XXXVIII. No. 18. in hydrope universali inflammatio pulmonum magna.

Natura inflammationis necdum cognita est. Plerumque conjungitur cum fibra stricta, sanguine denso, & copioso. Hinc potus emollientes, relaxantes, diluentes; venæ sectionesque, quatenus minuunt copiam sanguinis, & ad stasin solvendam conferunt, adeo utiles deprehenduntur. Sed etiam in corporibus inopia sanguinis, debilitate, & laxitate laborartibus subinde inflammatio datur, ubi certe prior methodus adhiberi non potest.

Clysma lene, acre, acerrimum, item vomitorium convulsiones sistit. *River.* obs. L. XXVII.

Peripneumonia notha a *Riverio* observata & curata. Cent. I. Observ. XCVIII. pituitosam vocat.

Obſervationes omnes, in quibus cardiaca in acutis profuerunt,& camphoratæ, colligi debent, indeque *canon* ſtatui.

Calomel Turqueti in obſervatione *Riverii* anthelminticum eſt. Fors ideo potius, quia materiam viſcidam potenter educit.

Febris *acutiſſima* in pueris ſubinde ſolummodo *verminoſa* eſt. *River*. Cent. I. Obſerv. XVI. Sed quomodo dignoſcenda a vere acuta febre?

Opium fluxiones ſeroſas inhibet. *River*. Cent. II. Obſervat. XLIII. & XLV.

Catarrhi in auſtrinis purgatione (præmiſſa ſubinde venæ ſectione) & ſumpto ad noctem laudano compeſcuntur. Cent. III. Obſerv. XV. Catarrhi tales videntur ab ultimis ductibus glandularum relaxatis fieri, non autem ab ultimis arteriolis plorantibus, quia hanc excretionem per ultimos arteriarum fines directe fieri ſolitum, opium non tollit. In colluvie ſeroſa opium ideo juvat, quatenus ſcilicet motum ſanguinis auget, ſtaſinque ſeri in motum ducit, & per ſudorem eliminat.

Lege obſervationes de catarrho apud Riverium & videbis *peripneumoniam notham* non in ſenibus ſolum, ſed frequenter admodum in pueris deprehendi, eam (a colluvie ſci-

ſcilicet ſeroſa factam) in auſtrinis omni ætati eſſe infeſtam. Tunc autem requiritur frequens purgatio, eaque quam veteres cholagogon vocarunt, ex manna, calomel, & diagrydio. Vide *River.* cent. III. obſervat. XLI. in rheumatismo univerſali, poſt multas plebotomias juvit purgans, ex calomel & reſina jalapp. per epicraſin datum.

Si auſtrina, id eſt, *calida* & *humida* tempeſtas in aquiloniam, id eſt, in *frigidam* & *ſiccam* mutetur, catarrhi, id eſt, tuſſes, reſpiratio difficilis, & ſtertor ſubinde oriri ſolent. Tolluntur manna, ſed & calomel & diagrydium & jalappa per epicraſin data juvant.

De lue pecorum.

De lue pecorum.

Ut aliquid ſtatui de lue pecorum poſſit, ſequentes quæſtiones prius reſolvi debent.

1) Quo anni tempore lues, initinm, vigor, decrementum?

2) Quæ ſymptomata, morbi duratio?

3) Quæ ſubjecta morbo magis obnoxia, an tauri, vaccæ &c. jugales, paſcuales, qua ætate?

4) Quæ proportio mortuorum ad ſanata?

5) Quibus in paſcuis, depreſſis, editioribus, fontibus, rivis deſtitutis, aqua ſtagnante, paludoſa infeſtatis?

6) An verum eſt, quod lues non proveniat a manifeſtis aëris qualitatibus, ſed a ſpeciali quadam mutatione in terræ cujusdam indole facta? an lues eſt inficiens?

7) Quid in cadavere reperitur?

8) Quæ juvantia & nocentia?

Ex omnibus his deducenda morbi indoles, & ſtatuenda medendi methodus. Sed certum eſt, homines rerum anatomicarum medicarumque ignaros de lue pecorum interrogandos non eſſe.

De calefacientibus in acutis.

Habet *Riverius* pleuritiden ſudoriferis ſanatam. Sed ait, dolorem pleuriticum priorem ipſa febre fuiſſe. Videtur, fuiſſe potius *rheumaticum dolorem*, fors mali ſedes fuit ſolum in muſculis intercoſtalibus. Defuerunt reliqua ſigna. Diſtinguendæ ergo ſunt ſpecies variæ pleuritidis & camphora peſſime in omni pleuritide præſcribitur. Statuendus iſte *Canon* eſt. Scilicet quando venæ ſectio malum aut *tollit*, aut inſigniter *minuit*, tunc camphora nocet. Venæ ſectio & camphora rariſſime conjungi poſſunt, niſi ſolum, ut camphora tutius dari ſubinde poſſit.

Uſus

Uſus purgantium, aquarum calidarum, vitæ ſedentariæ, cum nimium frequenti venæ ſectione, potiſſimum præſervativa dicta delendæ genti humanæ, ut ait *Tiſſotus*, ſufficient.

Nitrum in putridis, biliofis non obſervatur refrigerare, nocetque. Refrigerat tamen & viſcidum inflammatorium ſolvit, ſi non nimia doſi detur. *Tiſſot.*

Nitrum magis prodeſt in initio morborum inflammatoriorum, quam ſerius, ubi in putridum jam abivit. *Tiſſot.*

Probavit obſervatio, materiam tranſpirabilem medicamentis alvum ducentibus poſſe evacuari. *Tiſſot.*

Notum eſt jam dudum eryſipelatum fomitem, ſedem habere vulgo veſiculam fellis, nec melius exterminari, quam emeticis aut catarrticis. Tiſſot ex *C'l. D'arluc* qui deſcriptionem dedit huc conferentem eryſipelatis capitis cum bilioſa febre epedemica graſſantis & emeſi ſanandi. Recueil. periodique &c. T. VII. p. 55.

HISTORIA XXXII.

Die 5. Octobr.

Pleuroperipneumonia.

Domin. D*** heri (d. 4. Octobris) sanus, hilaris diem cum amicis transegit. Pro cœna brassicam fermentatam largius sumsit. Noctu circa secundam horam evigilat, cibos in cœna assumptos evomuit, æstuat, post ternum vomitum leviter horret, denuo calet, somnus per reliquum tempus nullus, aut exiguus sane & levissimus dolor capitis ad frontem, locorum interscapularium, itemque in summitate sterni, difficilis respiratio, & tussis, interque tussiendum dolor punctorius in sterno supremo. Dolor lumborum, tertium genu flectentium. Sitis. Os siccum. Lingua alba. Calores continuoi & *subita virium* jactura. Os non amarum. Hypochondria bona. Ventriculus indolens.

Post meridiem diei 5. Oct. vocatus venam secari curavi ad noctem, dein epispastica, & potus pectoralis. Sanguis cum magna crusta phlogistica.

Nota. Morbum hunc esse febrim inflammatorium, scilicet *veram peripneumoniam* aut potius pleuroperipneumoniam patet ex omnibus supra adductis. Distinguitur autem *vera peripneumonia a peripneumonia biliosa* potissimum per sequentia signa.

In

In peripneumonia aut pleuritide vera, ſeu inflammatoria, *primo nulla ſigna* affecti ſyſtematis gaſtrici, uti ſunt ructus amari, os amarum, & pituitoſum, ſcreatus continui, copioſi, ventriculus dolens, hypochondria tumida, flatus, borborygmi, vomitus *bilioſi*, diarrhea *bilioſa*. *Secundo*: Omnes morbi bilioſi hoc habent, ut *ſyſtema gaſtricum* diu ante peripneumoniam bilioſam, aut quemcunque alium morbum bilioſum, ſentiatur affectum. Ubi morbi inflammatorii optime & pencratice valentes inopinato adoriuntur.

Nota ſecundo, *vomitum braſſicæ fermentatæ* non confundi debere in noſtro hoc caſu cum vomitu *bilioſo*. Vomitus enim in ægroto noſtro non ab affecto peculiariter ſyſtemate gaſtrico provenit, ſed ab univerſali humorum orgasmo, ventriculum paulo magis oneratum ſollicitante.

Die 6. Octobris.

Nox bona. Somnus ut plurimum bonus. Pulſus paulo minus frequentes, qui quidem nec heri fuerunt frequentiſſimi, nec adeo dari. Dolor capitis minor, dolor interſcapularis ceſſavit, aut potius ad medium dorſum ſe reduxit. Tuſſis vix aliqua. minor oppreſſio pectoris. Sitis nulla aut exigua.

Applicata denuo ſunt epſpaſtica, & datum omni hora vaſculum potus pectoralis.

Die 7. Octobris.

Ad noctem heri modicus capitis dolor, dorſi medii dolor minor, ſed major pauloſpec toris auguſtia. Pulſus ut antea. Urina flammea. Poſt mediam noctem ſomnus aut nullus aut interruptus, & tuſſis multa, inanis. Pulſus tamen minus celer, calores nulli aut exigui. Circa auroram, ſumſit potum pectoralem, queſtus eſt magnam omnis pectoris oppreſſionem. At ſumpto potu theato tuſſis conquievit. Somnus poſtmodum, & ſudor: nullus capitis dolor, nec dorſi, ſitis nulla. Tuſſis rara, non vehemens. Urina flammea, absque hypoſtaſi. Pulſus vix non naturalis. Caloris abſentia. Circa nonam antemeridianam ſudor fœtens cum levamine. Hodie tota die dolorem faucium & difficilem deglutitionem queritur. Rubent tumentque tonſillæ cum arcubus faucium poſterioribus. Adhibita ſunt gargarismata.

Die 8. Octobris.

Somnus bonus. Pectus liberum, fau ces modiciſſime dolent. Pulſus omnino bonus. Urina ante meridiem miſſa eneorema habuit. Circa meridiem miſſa turbida facta eſt. Tuſſis nulla.

Die

Die 9. Octobris.

Somnus bonus. Fauces bonæ. Reliqua ut heri. Urina paulo poſt turbatur.

Die 10. Octobris.

Omnia ut heri.

Die 11. Octobris.

Dies morbi ſeptimus. Auris dextra dolens & modice ſurda. Mane alvus copioſa liquida. Urina a meridie ſanorum inſtar, uti & diebus ſequentibus.

Nota. Pleripneumonia urimis & alvo non autem ſputis judicata. Criſis die ſeptimo peracta incepit die quarto, qui *index* fuit diei ſeptimi. Die ſeptimo mane præter illam auris detræ aliquam ſurditatem advertit etiam ſtillicidium narium inter emungendum. Utrum plures eo die ſedes habuerit, nec ne, reſcire non potui.

Ὁκόσοισι κωφωσιν, χολωδέων επιγινομένων πάνεται. Hippocr. Sect. IV. Aphor. 28.

Ὁκοσοισιν ἄν εν τοισι πυρετοισι τα ωτα κωφωθη, ἁιμα εκ ῥινον ροεν, ἡ κοιλιη εκταραχθυσα λυει το νυσημα. Sect. IV. Aph. 60.

HIS-

HISTORIA XXXIII.

Die 13. Octobris. 1773.

Puerpera. Domina de M*** junior; puerpera annorum 28. In octavo ejus partu sequentia observavi.

Per diem femialterum fere mucus ex pudendis copiofus fluxit. Noctu circa primam (13. Oct. 1773.) dolor lumborum, verfus inguina tendens. Dolorem quidem lumborum jam die præcedente, fed levem finfit. Nullus aut exiguus per reliquum noctis fomnus. Mane circa octavam dolores lumborum, colicique verfus inguina tendentes per vices rediernt. Sub his doloribus infignem & manifeftam mutationem adveri; fcilicet pulfus erant *frequentes admodum*, & contracti ita, ut arteriæ micationes, five fyftolem a diaftole vix potuerim diftinguere, itemque duri. Remittentibus doloribus vibrationes longe *minus frequentes*, *liberæ amplæque*, & *naturaliter molles*. Qui rarius ad initium, poftmodum frequentius ingeminabant dolores. Circa decimam antemeridiem validi dolores partus, & fœtus exclufio, quæ intra horæ quadrantem abfolvebatur; tempore partus tremor genuum magnus, quem in finem fœmina adhibita eft, quæ

quæ genua apprehenderet, firmaretque; dolor musculorum internorum femoris sub partu magnus; itemquæ crurum, iis potissimum in locis, in quibus varices erant. Ligabantur ergo crura & femora, ut tenues venarum varicosarum tunicæ sustententur, &, dum ob impeditum sanguinis per venas refluxum tempore partus, varices magis urgentur, a majori dilatatione aut etiam a ruptione præserventur. Musculi vero femorum ligati minus distrahuntur, minusque sic dolent. Præterea musculi ligatura sustentati multum confert ad nisus edendos in partu requisitos. A partu sequebantur post 1/8 horæ partem secundinæ. Deinde ligabatur abdomen, denuo mammæ. Ad vesperam ob dolorem in labio alterutri pudendi cataplasma ex floribus sambuci, chamomillæ, & croco cum lacte paratum adplicatum est, profuitque. Dolor autem hic ortus ab inflammatione illius partis secuta post difficilem partum ex distractione, aut quasi quadam contusione. Magnam funiculi quantitatem obstetrix in recens nato frustra reliquit.

Die tertio post partum mammæ tumuerunt, attamen absque dolore, aut saltem exiguo. Sed lochia magis alba, quam rubra, ita ut fluore albo se denuo laborare putaret,

ret, diebus consequentibus fluor iste lochiorum albus persistit. Febris lactea nulla, quia scilicet lac cum lochiis abivit. Die tertio post partum dolorem capitis, sed solum in ejus vertice & circa sinus frontales in superiori orbita oculorum questa est. De dolore in vertice etiam questa est alia puerpera. Domina M***. vide ejus historiam morbi. Dolor hic in vertice brevis fuit, nec diu duravit, Toto fere a partu tempore copiosam habuit transpirationem.

Die 16. *Octobr.*

Capitis dolor sed levis, ni fallor a meridie. Nox bona.

Die 17. *Octob.*

Bene per omnia se habuit.

Die 18. *ejusd.*

Circa quartam frigus, non validum, sed potius horripilatio per mediam fere horam, dolor capitis moderatus, calores. Pulsus frequentes, noctu somnus minus bonus, sudorque copiosus. Statim post initium hujus paroxysmi, dolor in tumore ad labium sinistrum pudendi exterius existente rediit de novo, major priore, pungens.

Die 19. *ejusd.*

Sudor & larga transpiratio. Apyrexia. Nota. Mammæ non turgent, non dolent, atta-

attamen his diebus ex alterutra lac effluxiſſe dixit. Somnus bonus. Tumor modice & per intervalla doluit.

Die 20. *ejusd.*

Hodie mane ter alvum poſuit aquoſam, absque ullo dolore; circa veſperam horripilatio, dolor capitis, genarum rubor, calores, pulſus frequentes. Corpus etiam ſub ipſo frigore, uti etiam in priori paroxysmo, ad attactum caluit. Dolor tumoris, & femoris, crurisque in eo latere; circa primam noctis finis paroxysmi, ſudor perſeverans, & ſomnus deinde bonus. Mammæ nec turgent, nec dolent.

Die 21. *ejusd.*

Dolor tumoris mitis, per intervalla longiora rediens; ad noctem horripilatio levis, & ſtatim magnus tumoris, cruris totius, incipiendo a tumore, dolor, poſt initium paroxysmi ortus. Calores & capitis dolores ad decimam ferme ejusdem noctis, omnia ſymptomata tamen heſternis leviora fuerunt. Sudor largus per totam noctem & ſomnus bonus. Hodie abdomen, quod antea conciderat, magis ſibi inflatum eſſe querebatur.

Die 22. *Octob.*

Mane & toto die nullus dolor in tumore, quem minorem hodie eſſe dixit. Interroga-

rogata de tumore sequentia respondit: Scilicet sub ipso partu, prodeunte jam capite partem illam pudendi ruditer attrectatam esse ab obstetrice, ita, ut crudum hunc attactum non ferret, ab eoque ut desistat obstetrix statim jussisse. Tumorem esse duriusculum & locum in eo quemdam præ ceteris dolere, qui scilicet cærulescentis coloris sit & venam varicosam, quales multas in cruribus habet, exacte repræsentare. Nil ante partum tumoris, aut incommodi sensisse. Dolorem esse *punctorium*. Circa tertiam post meridianam quater vomuit copiosam materiam, quæ jusculum flavum mane sumptum repræsentaret, sapore, ut ait, acido, dein etiam dulcescente. Odorem ego, dum adstarem vomenti, sensi quasi ex oleo amygdalino, quod ad meridiem sumpsit. Alvus laxa aliquoties deposita, aquosa & copiosa cum levibus colicis doloribus. Ante vomitum, sub eoque, pondus ad ventriculum questa est. A vomitu de aliquo denuo dolore tumoris querebatur.

Plura circa puerperas observanda hic deprehendi.

1) Obstetrices monendæ sedulo, ne *crudius* attrectent partes genitales; dum enim omnia rite procedunt, & *sola* in ipso itinere

re longior commoratio adeſt, viribus puerperæ bonis, ſitu legitimo &c. Fruſtraneæ ſunt, imo *periculoſæ* omnes illæ dilatationes, quas obſtetrices digitis violenter ampliando faciunt. *Lene & non dolorificum* juvamen digiti obſtetricis afferre quidem etiam in hoc caſu poſſunt, at ſolum, ſi actu *conatus pariendi* adſint, quibus ceſſantibus exſpectandum eſt, donec novi conatus accedant, quibus innoxium illud manuum auxilium jungi poteſt.

2) Facilius ſedentes ſtantesque, quam decumbentes pariunt, ipſo ſcilicet pondere infantis ad ſui excluſionem conferentis.

3) Statim examinandæ ſunt puerperæ poſt partum, num quid peculiariter doleat, ut maturum auxilium ferri queat. Eidem Dominæ de M*** in alio partu tumor in ipſo pudendo.

Die 22. Octob.

Hoc ipſo die mane juſculum ſolito minus appetiit, comedit tamen; hoc mane leviores, vagosque circa umbilicum dolores, item in lumbis queſta eſt, dolor deſcendit ad hypogaſtrium, ad meridiem oblatum juſculum nauſeavit, præter ovum ſorbile & oleum amygdalinum nil aſſumſit. Pondus ad ventriculum querebatur. Circa tertiam po-

meridianam, uti antea notavi, vomuit cum subsecuto semper levamine. Quater per intervalla vomuit, dejecit circiter nonies. Post ultimum vomitum, quo materiam pituitosam potissimum ejecit, pondus ad ventriculum, dolorque *gravativus* respirationem reddens difficilem; dolores obtusi, subinde vagi, sæpe fixi in hypogastrio. Pulsus frequentiores, animi deliquia levia, sed continuo redeuntia. Nullus capitis dolor, nulli calores, nulli horrores. Nullibi dolor *acutus scindens, aut urens*, nec in ipsa alvi depositione, nec alias. Alvo dejecit aquosam, cineritiam aut albescentem potius materiam, *lacteam* fere dixisses. Noctu circa nonam respiratio sat libera, pondus ad ventriculum nullum, obtusus hypogastrii dolor, quique in lumbis fuit, levior; sitis. Somnus, sed levis admodum; pulsus minus frequentes. Alvum de nocte bis posuit, pariter eandem ac vesperi; larga transpiratio per totam noctem. Somnus ad auroram bonus.

Die 23. Octob.

Mane alvus denuo aquosa semel posita, respiratio & ventriculus bene se habent. Nullum aut vix ullum in lumbis & hypogastrio incommodum. Ultra horam extra lectum sedendo transegit. Pulsus boni, aut mo-

ıodicissime frequentes. Mammæ & heri & odie flaccidæ potius quam turgentes. He- & hodie nil sanguinis per uterum animad- ertebatur. Tumoris dolor exiguus item odie.

Nota. Nunquam ajebat minores mole- ias circa mammas se habuisse ac in isto par- ı. Eas ita toto tempore fuisse, ac si abfuis- nt penitus. Die 20. ni fallor, aut 21. di- ebat, se *paucum & meracum sanguinem* ex tero fluentem deprehendisse. Ex omnibus ucusque enarratis concludo, vomitu & al- o lac verum fuisse excretum, crisi utique liciore, quam si eadem materia aliorsum uisset deposita, aut regimine nimis calido iliaria alba produxisset. Sed apparet si- ul, quantum periculum subeant eæ matres, uæ proles proprias non lactant, & hinc co- iosius lac retinent. Quod si medicus ad uerperas non lactantes vocetur, id operam are debet, ut ea diæta observetur, quæ ctis generationi minus faveat, hinc juscu- illa nutrientia non suadenda sunt. *Stricti-* r diæta optime huc faciet. Solis panatel- s, sola aqua & pane conflatis utendum, his- ue non ad satietatem.

Oleosa suadentur, & præcipue oleum mygdalinum. At vero *debilibus*, quarum

ad classem plerumque omnes illæ pertinent, quæ ipsæ non lactant, oleosa omnino non conveniunt, adeo spasmos non præpediunt, ut, præter alias noxas, debilitando fibras jam antea ultra modum debilitatas, eosdem potius invitent, fluxumque lochiorum, qui in fœminis contraria ratione prædispositis utique insigniter promoveri per oleosa poterit, potius supprimens. Oleum autem amygdalinum præ reliquis rancescere, præprimis si, uti fere semper fit, calide exprimatur, omnibus notum est. Præterea acida cum oleosis *pessimam acrimoniæ speciem* efficiunt & ventriculo longe infestiorem, quam singula seorsim. Plures ergo debili ventriculo laborantes vidi, quorum in numero etiam ego sum, qui pinguia cum modico aquæ potu facile ferunt, cum eadem vero vini quantitate difficilius. Et in hac, & in aliis puerperis observavi longam, eamque fere continuam transpirationem, sudores subinde copiosos; superfluam lactis materiam, attenuatam, per cutis poros eliminari hac ratione satis constat. Periculosa ergo perfrigeratio est; sed & æque periculosum erit, invita natura hanc crisin moliri; incipientem, largo potu infusi florum chamomillæ & sambuci promovere consultum erit. Sudore autem

em nunquam apparente ſedulo attendere
medicus debet, qua via eliminare natura
ſuperfluum lac velit.

Solent noſtrates fœminæ copioſo potu
ſpecierum dialtheæ Fernelii uti tempore puer-
perii. At in corporibus laxis potius infu-
ſum florum chamomillæ & ſambuci ſuaderem.

Hodie veſperi (d. 23. Oct.) levis de-
nuo circa lumbos dolor. Hodie mane fla-
tus alvo erumpentes. Sitis tota die, veſpe-
ri tamen minor. Nulli calores nec heri, nec
hodie. Appetitus bonus. Nil per uterum flu-
xit hodie. Ad veſperam hypogaſtrium ma-
nibus preſſum puerperæ fecit ſenſum illum,
ac ſi eſſent omnia exulcerata ibidem. Circa
mediam ſeptimam veſpertinam frigus vagum,
modo has, modo illas corporis partes occu-
pans, idque per ſemialteram horam, dein ca-
lor ad undecimam usque, demum ſudor to-
ta nocte copioſus. Paroxysmis iſte & du-
ratione & vehementia mitior fuit quam pri-
or. Noctu ſomnus. Sudoris odor *acidus*.

Die 24. *Octob.*

Bene quoad omnia ſe habuit, ſed val-
de ſitivit tota die, ſudavitque aut large ſal-
tem transpiravit per totam diem. Veſperi
borborygmi torminoſi, lumborum dolor.
Mane alvus una, & binæ veſperi, quarum

 ulti-

ultima paulo laxior fuit, & cum aliquoties per cubiculum ambularet, paucæ ſanguinis meraci guttæ per uterum excidebant. Nullus paroxysmus. Sitis minor ad veſperam. Appetitus bonus. Varices in tumore disparent ſenſim, tumor autem ipſe dolet ſubinde, durior paulo eſt, & vix minor. Cum locum examinare non liceat, glandulosi fors quid læſum eſt, quod ne in ſcirrhum abeat, omni modo adlaborandum eſt. Noctu ſomnus hucusque omnium optimus. Circa recens natos ſequentia obſervari: Inſpiciendum totum corpus, utrum omnia ſecundum naturam ſint diſpoſita; pudenda, anus aperta; lingula ſoluta; caput non difformatum; nil luxatum fractumque. Abluunt in lacte calido addito pauxillo butyri & faſciis involvuntur. Sæpe per duos tresve dies absque alimento ſunt, dein ſponte mammam admittunt. Alvus nigreſcens aut ſponte aut dato ſyrupo cichorei cum rheo ſollicitatur. Vidi ſyrupum mannatum bis datum excitaſſe ſæpius gravia tormina. Si nutrix non fuerit recenter puerpera, & lac habeat jam antiquum, alvum proles obſtructam, raram, duram habebunt. Inde tormina, flatus, borborygmi, vomitus, inquietudo, clamor. Infantem torminibus proxime infeſtari adparet

ret ex alvo rara, duraque ex eo, quod inter dormiendum modo ridentis, modo flentis, modo aliam quamque faciem exhibeant. Tormina autem actu adesse constat, si repente & valide clament, si pedes attrahunt, si dum decumbunt, caput & superiorem corporis partem erigere quasi conantur. Alvus sollicitatur radice petroselini recenti, aut sapone in alvum immissum; post unum alterumve diem intra pedes infra genu, axillis, collo, in omnibus carnis quasi incisuris farina *tosta* conspergendi sunt. Pulveres & farina non tosta minus bene ad hoc servit, quia cum aquosa humiditate fermentum efficit.

Die 25. Octob.

Sitivit tota die. Sudavit. Cetera bona.

Die 26. Octob.

Toto antemeridiano tempore extra lectum fuit. Appetitus intensior. Sitis longe minor. Inter ambulandum sanguis ater, grumosus pudendis excidit. Summo mane alvus dura, difficilis. Urina heri deposuit materiam *farinæ leviter tostæ* similem, sed non omnino perfecte deposuit. Hodie vero missa ad vesperam inter horam eandem materiam perfecte deposuit. Urina paulo minus colorata. Larga transpiratio tota die. Os, quod hucusque glutinosum fuit, tale jam non

eſt. Fames potius quam appetitus. Veſperi ſomnolentia magna, ſomnus usque poſt mediam noctem bonus; deinde per intervalla & exiguus, quod mirum non eſt, cum a meridie multùm dormivit.

Die 27. Octob.

Urina mane miſſa poſt aliquot minuta incœpit deponere. Tumor ad pudenda minor, non dolet niſi compreſſus. Diu extra lectum fuit, deambulavitque; multum ſanguinis per uterum deſcendit. Noctu ſomnus minus bonus, & aliquis in capite dolor, exigua transpiratio, qualis etiam fuit a meridie. Sitis nulla. Alvus dura ſemel.

Die 28. Octob.

Toto die aliquis in capite dolor. Sanguis ater, coagulatus copioſior per uterum inter deambulandum. Minus larga transpiratio, capitis dolor vagus. Sitis nulla. Mammæ uti extra puerperium & graviditatem. Urina ſaturate flava non fuit turbata, ſed nubeculam albam depoſuit. Alvus dura, ſemel.

Poſt aliquot dies perfecte convaluit.

Circa finem Novembris fluor albus & acris copioſus fuit, puſtulæ in toto fere corpore rubræ, acri ſero turgentes. Tumorem ſenſit jam toto graviditatis tempore in

ab-

abdominis latere ſiniſtro verſus pubem tendentem. Dedi ſequentia:

℞. Saponis venet.
Gummi ammon.
— — galban.
Tartari vitriolat.
Maſſæ pilul. ruffi. āā ʒj.
Balſam. peruv. q. ſ.

M. f. pilul. gr. jv. Quater de die quatuor ſumat.

Scopus fuit *ſolvere*, *aperire*, & ad alvum determinare. Tumores hi tempore graviditatis oriri ſoliti ſunt ſæpe ſolum inteſtinum inferius ab utero diſtento compreſſum, ſuperius vero ob retardatas fœces dilatatum. Præſcripta præterea eſt etiam frictio *omni mane* facienda. Diſperſo tumore ſumat corticem.

Ratio pro lactatione. Puſtulas prurientes, ſero *acri* turgidas & fluorem album *acrem* a lacte retento, corruptoque oriri exiſtimo in hac ægrota. Novum pro lactatione argumentum.

HISTORIA XXXIV.

Die 10. Octob.

Cum hodie *Levæ* essem, vocabar ad sartoris cujusdam filium annorum circiter sedecim. De quo sequentia intellexi. Ab aliquot annis, quatuor aut quinque, experitur difficilem mictum, dysuriam cum stranguria. Ad initium rarius, mitiusque, at subsequentibus temporibus frequenter graviterque. Nullus antea ad lumbos dolor, nulla injuria externa qualiscunque antecessit. Dolor supra pubem est, & per totum penem, urens lancinansque, a biennio frequentius redit. Ante annum scabiem habuit, qua externis solum remediis curata gravius longe frequentiusque malum redit. Mingit frequentissime, sed parce semper, & cum dolore supra penem & in pene. Post mictum dolor est gravior. Etiam ante mictum & intermedio tempore per intervalla supra dicti dolores redeunt, abeuntque per vices. Ab aliquo jam tempore continuum urinæ stillicidium est, cui adposita spongia medetur. Ante annum bis sanguinem minxit. Modo etiam dolorem subinde in regione renali quæritur. Urina tenacissimum gluten album continet,

tinet, non fœtet. A lacte ebutyrato nuper pessime habuit. Item a musto largius hausto. Si vinum sumat, stillicidium urinæ ad tempus cessat.

Nota. Calculo laboret aut non, cum cathetere examinari non potuerit, dicere nequeo. Interim eadem symptomata subinde etiam absque calculo occurrunt. Vesica enim exulcerata, parietibus duris, crassis per urinam acriorem, & stimulantem frequenter sollicitata, rationem dysuriæ stranguriæque, dolorisque supra pubem dat. Irritata gluten largitur copiosius. Post mictum dolor major, aut quia calculum asperum complexa acutius sentit, aut quia in se contracta, & ab incumbentibus etiam visceribus pressa magis dolet, quam distenta, uti manus vola tumens magis dolet contracta, quam expansa. Stillicidium a debilitato sphinctere, qui sumpto vino, analeptico, ad exiguum tempus roboratus suo denuo munere fungitur. Ob difficilem & dolorificum prioribus annis mictum urina diutius quam par fuit, relinquebatur. Aut vesica contra urinam copiosius collectam irritabatur, eamque exprimere sufficienter haud valuit. Inde explicatur, qua ratione fors ureteres, demum etiam renes distendi, arrodique potu

erint

erint & dolere. Fors acidus potus urinam præprimis movens exulcerando veſicam acrius ſtimulat, hinc aqua calcis, quam illi jam ante aliquot tempus ſuaſi, illi ita profuit, ut lecto abeſſe, & officio ſuo fungi denuo potuerit. Aqua enim calcis fors prodeſt ſolum qua abſorbens, ſiccansque.

Fors materies ſcabioſa veſicam petiit retropulſa ab externis medicamentis & exulcerationem reddidit graviorem. Materiam autem ſcabioſam vias urinarias ſubinde petere, etiam nuper vidi in Domino M. T***. Fors ſcabioſa materia veſicam ſubinde aggreditur ex renibus per urinam illuc allata, & non ſtatim excreta, aut in ejus ſubſtantiam per arterias veſicæ depoſita, ut inde morbus oriatur ab *Hippocrate ſcabies veſicæ* nominatus.

HISTORIA XXXV.

Die 17. *Octob.*

Febris biliosa.

Dominus P. St*** cum pridie vino & laboribus paulo magis indulſiſſet, ad meridiem horret per horam ſemialteram, calet poſtmodum toto reliquo die, minus ad veſperam. Sub hoc paroxysmo aſſumptos paulo antea cibos vomuit. Dolor capitis, potiſſi-

tiſſimum in occipite, dolor in cervice, perque totum dorſum, in lumbis; ſub depoſitione alvi dolet in oſſe ſacro, exit per alvum tuber hæmorrhoidale, quod dum alvum exoneravit, retrocedendo dolet. Dolet utrinque ad pubem, dum mingit. Urina magis exaltata, absque ſedimento. Dolor hypochondriorum, itemque gravamen ad ſcrobiculum cordis, ardor per totum pectus, ſecundum ductum ſterni. Os ſiccum, amarum, ſiticuloſum, ſed modice. Somnus de nocte ſat bonus.

Die 18. *Octob.*

Mane per horam horruit, caluit, a meridie melius habuit, poſt utrumque paroxysmum ſudor paucus. Heri & hodie non appetiit. Omnia ut heri. Vomuit pariter.

Die 19. *Octob.*

Paroxysmus & reliqua ut heri. Ad veſperam calores redierunt majores. Non vomuit, ſed vomiturivit, major oris amaror. Acceptis quinque drachmis cremoris tartari ſepties per noctem purgatus eſt, per intervalla tamen dormivit.

Die 20. *Octob.*

Melius mane ſe habuit, paroxysmus emanſit, attamen pulſus celerior. Minor oris amaritudo, attamen ſiccitas, dolor ventri-

triculi gravans, vix ullus, aliquis tamen adhuc hypochondrii ſiniſtri dolor perſtitit. Reliqua ſymptomata inſigniter imminuta. Aliquis appetitus. Pulſus tamen celerior naturali toto die. Noctu nullus dolor; attamen nil dormivit. Alvus ter per diem laxa.

Die 21. Octobris.

Mane poſt celebratum ſacrum, vomuit ſæpius potum theatum paulo ante ſumptum cum pauco phlegmate, nil bilioſi nec quoad calorem, nec ſaporem vomuit; calores poſtmodum, dolor occipitis, etiam frontis, item in cervice, dorſo, lumbis, oſſe ſacro, intermingendum utrinque ad pubem, item in depoſitione alvi, ut antea. Fricuit tuberculum hæmorrhoidale ſæpius foliis ficus, noctu paucum ſanguinis binis ternisque vicibus ano exivit.

Die 22. Octobris.

Mane melius. Ad prandium appetiit. A prandio calores, reliquaque ſymptomata redierunt. Noctu vena in pede ſecta. Sanguis non phlogiſticus, ſed læte roſeus. Somnus paucus ea nocte. Sitis.

Die 23. Octobris.

Mane pulſus ut heri, celer videlicet, omnia tamen ſymptomata mitigata, ad veſperam tamen omnia denuo aucta. Sitis toto

hoc

hoc die admodum magna. Ad noctem pulsus paulo minus celer. Symptomatum remissio aliqua. Noctu somnus melior, & sudor copiosus.

Die 24. Octobris.

Mane pulsus minus celer. Exiguus capitis ad tempora dolor, nullus in occipite, nec in cervice, nec dorso. Attamen fixus dolor in medio puncto ossis sacri, sitis vix aliqua. Tumor durus, dolensque in parte, lienis, ut videtur, anteriore. Exiguus appetitus, a meridie calor intensior. Dolor occipitis major, item in loco lienis. Sitis, attamen paulo minor quam heri. Noctu post mediam noctem somnus per quatuor horas continuus & bonus.

Die 25. Octobris.

Ut heri.

Die 26. Octobris.

Mane pulsus liberior, majori appetitu jusculum acidum binis per diem vicibus oblatum comedit. Ad meridiem sedendo aliquid temporis exegit. Dolor lienis, & occipitis minor, sitis minor, urina ruffa. Noctu somnus sat bonus per intervalla.

Die 27. Octobris.

Dies morbi undecimus ad finem pergit. Mane circa quintam rigiditatem immobilitatemque

que & ſtuporem manuum expertus eſt, ita, ut juxta ægroti expreſſionem manus ipſi quaſi *ligneæ* eſſent, ſimulque major occipitis dolor junctus fuit. Idque duravit per ſemihoram, quo ceſſante ſudor univerſalis erupit. Pulſus ut heri mane. Urina circa ſextam mane miſſa minus ruffa, hucusque urinæ absque ullis contentis manſerunt, & imperturbatæ. Somnus de nocte valde bonus.

Die 28. *Octobris.*

Alacrior, dolor in lienis loco & in oſſe ſacro longe minor, pulſus minus frequentes, liberi; appetitus aliquis.

Per ſequentes dies magis magisque vires recepit, absque criſi manifeſta, & valde pedetentim.

Morbus fuit *bilioſus*; hæmorrhoidum affectio & lienis dolor fuerunt ſolum ſecundaria. Credo lienem dudum ibi loci fuiſſe obſtructum, & modo ob concitatiorem circulum ſanguinis, facto fortiori ad loca obſtructa impulſu, doluiſſe. Juviſſet & primo oxymel, dein emeto catarſis, & acidorum continuus uſus.

Obſervationes circa morbos bilioſos hoc autumno anni 1773 *factæ.*

Obſervationes de morbis bilioſis.

1) Morbi inflammatorii autumno rari admodum ſunt, & tamen vidimus in quibus

dam

dam nosocomiis, aliisque etiam in locis homines morbo bilioso correptos venæ sectionibus ad internecionem usque vexari. Item fuerunt, qui alia quidem methodo, sed fere æque perniciosa, primo vomitorium, quod quidem recte, secundo camphorata propinarunt more certe pessimo.

2) Vidi morbos biliosos cum inflammatione conjunctos, sed *levi*, quæque *secundarius* tantum morbus fuit. Sic in hominibus cœcas hæmorrhoides pati solitis vidi morbum biliosum cum affectione hæmorthoidali inflammatoria. Cum enim circulus humorum in morbo bilioso præter morem fuerit incitatior, orta secundaria etiam hæmorrhoidum affectio &c.

3) In morbis gastricis biliosis lingua mane materiam exhibet ex albo flavescentem. Os insipidum, amarum, siccum; labia sæpe sola, sæpe etiam palatum fornicatum siccescunt semper; Os subinde glutinosum. Saliva copiosa, insipida, alba & spumescens, majorem ad primas vias affluxum significat. Fauces subinde asperæ & quasi rugosæ; pruna non cocta, acetum, poma cruda acida comesta ad tempus saporem restituunt naturalem.

Gravamen ſubinde ad ventriculum, præcipue de nocte, ita, ut inde dormiens excitatur. Subinde ſola hypochondriorum tenſio, ſtrictura, plenitudo, inflatio. Appetitus minor, carnium præcipue. Attamen quod mirandum, ſubinde nullum ſenſibile quoad appetitum, ventriculum aut hypochondria incommodum, licet ibi mali ſedes ſit. Urina potiſſimum flava prætermodum ſubinde quaſi ab aſſumpto rheo tincta, ſubinde ſedimentum rubellum, aut brevi jumentoſa fit. Alvus ſæpe ſtricta, fœces olidiſſimæ, excellenter flavæ, quas *bilioſas* dixere, & quaſi ab aſſumpto rheo.

Paroxysmo ſæpe tertianam imitantur, frigus leve ſæpe at calor *diuturnus*, ſudores *nidoroſi*. Raro apyrexia perfecta, ſed calores, aut caput obtuſum, vertiginoſum. Cubiculi calidi peculiaris impatientia, alleviamen magnum ſi ſeſe frigori exponat, frigidam bibat. Incommodum ventriculi ſæpe ſolum ſub paroxysmo. Noctes inquietæ. Sitis non magna. Sed etiam alia ſpecies eſt, ſcilicet ſubinde paroxysmi leves, ſed quotidiani cum frigore vix animadverſo, vario diei tempore repetentes. Exitus horum eſt, ut aut diu vexent hominem, & ſic ſenſim ſenſimque diſpareant, attamen poſt aliquod tem-

pus

pus denuo recidivam et ſæpe plures faciant, atu nullo amplius obſervato intervallo pergant uno tenore, & nulla dierum criticorum ſerie obſervata, tandem ſolvantur, vel in majori gradu univerſam humorum maſſam putredine inficiant, petechias generent, interficiant. Vidi in uno, qui tali ratione mortuus eſt, puncta petechialia morbo jam multum progreſſo prorupiſſe, et brevi denuo diſparuiſſe. Vidi in Franciscano quodam, qui per tres circiter ſeptimanas convaluit, poſt ſex circiter ab incipiente morbo dies veras petechias infimo abdomine ſiniſtrorſum & nullibi alias.

4) Vomitorium profuit, imo neceſſarium fuit. Mirabar ipſe & in me & in aliis æſtum immanem, omniaque ſymptomata quaſi ſubito ceſſaſſe poſt vomitum. Radix ipecacuanhæ rariſſime ſatisfacit ſola, addi unum alterumque granum debuit ex tartaro emetico. Imo ne ſic quidem omnino ſatisfecit, quia, ut opinor, emeticum aſſumptum ab inani copioſæ materiæ glutinoſæ &43bilioſæ affluxu enervabatur. Hinc major ipecacuanhæ doſis e. g. ʒß. ſcr. ij &c. neceſſaria fuit, quo citius & certius ventriculi fibras attingat. Nullus enim metus eſt a majori radicis doſi, cum pars ſe ipſam cum reliqua ſaburra excutiat.

Poſt paroxyſmum immediate inanis ſalivæ aut materiæ potius bilioſæ affluxus multum moleſtiæ continuo exſcreantibus fecit: hinc & ego & alii mea ex ordinatione emeticum ſtatim a paroxyſmo finito ſumſerunt.

Præparatio ad emeticum conſtitit in diluentibus acidis. Optimum fuit ante emeticum uno alterove die omni hora ſumere unciam unam oxymellis. Materia vomitu rejecta varia quoad *quantitatem*, *qualitatem* fuit. Quantitas ſæpe tanta fuit, ut aſpectantibus orta admiratio fuerit, ubinam locorum tanta materiæ copia calere potuerit. Color materiæ ſubinde viridiſſima fuit quaſi ex gramine comeſto, ſubinde flava, ex flavo nigreſcens, glutinoſa fere ſemper, ſapor aut nidoroſus aut ovi putridi, aut amarus. Ad finem vomitus excuſſa jam multa materie, ſapor amarus, ſæpe primo advertebatur. Mirabar, me materiam copioſiſſimam & meo & adſtantium ſenſu manifeſto *acidiſſimam* vomuiſſe, pauculum materiæ, quod mantili, quo os abſtergebam, adhæſit, etiam exſiccatum, per multos dies *acidiſſimum* odorem ſervaverit. Mirabar autem id eo magis, quod nullum quoad ventriculum incommodum, niſi gravamen aliquod tempore paroxyſmi ſenſerim. Poſt duos dies denuo vomui materia

ria

riam viridiſſimam, nidoroſam, putridam flavam. ex flavo nigreſcentem, copioſiſſimam pariter. Acrimoniæ materiæ illius acidæ in primo meo vomitu tanta fuit, ut ſenſum faucium quaſi eroſarum aduſtarumque & dentes ſtupidos habuerim, in ſecundo meo vomitu tantam acrimoniam materiæ bilioſæ ſenſi, ut *vivum ignem* aſcendere per œſophagum putarim. Quotiescunque autem aliquid deglutivi, vel ſolam ſalivam, ut primum rem degludiendam ad œſophagi finem perveniſſe deprehendi, osque ventriculi aperiri ſenſi, tunc velut *viva flamma* ex ſtomacho ſurſum erupit. Tanta autem eroſio, aut a muco naturali obliniente nuditas fuit, ut per unam alterumve diem vix limpidiſſimam aquam deglutire potuerim; ardor enim & dolor quaſi a ſuperiori parte deorſum per œſophagum ſcindens fuit. Quodſi materia tam acris inteſtina petat & *κάτω* evehatur, facile patet, quam horrendi dolores colici oriri debeant. Subinde poſt unum alterumve diem repeti vomitorium debet.

5) Vomitorium ſolum raro ſufficit ſed ſimul dijectiones aliquæ fieri debent. Quodſi vomitorium cum tartaro vitriolato conjungitur, *choleram* excitabit ſaluberimam. Purgans datum poſt vomitorium ferme emeto-

catharsi æquivalebit. Purgantia ex pulpa cassiæ, tamarindorum nimis lenia sunt, quamvis causæ morbosæ resisterent. Hinc pilulæ Ruffi ad gr. xxv. vel ʒβ datæ vel solæ vel cum aliis omnes absolvunt paginam. Rheum ideo non pergebam propinare, quod *lente*, *& inefficaciter*, cum torminibus agat, & plus in secundas vias, per urinam fere agere videatur quam per sedem. Stimulus autem cito & efficaciter operans præoptari debet.

6) Evacuationes tamen eo usque non debent continuari, usquedum appetitus redeat, ut prudentissime Tissotus monet. Quia is *ex debilitate fibrarum* non adest ultimato. Præterea humores allicerentur, ad primas vias, & semper restaret aliquid ad ejiciendum. Reliquum restiturus fibrarum tonus facile separabit, Diæta stricta non statim deseri debet, sed *valde paulatim* relaxari. Tonum vero partium restituent amara vino infusa. Usus sum ergo sequenti vino:

℞. Extracti Cardui bened.
— — Gentianæ rubr. āā ℥β.
— — cortic. peruv.
Corticum virid. Citri in pulpam
— — contus. āā ℥j.

Digere in vini generosi ℔ij. Mane ante prandium & cænam pocellum sumatur.

Inter

Inter usum vero hujus vini caveri obstructio debet, sed alvus subinde leniter sollicitari per pilulas Ruffi.

7) Circa paroxysmos ipsos sæpius expertus noto, eosdem non posse abbreviari si oborto post frigus calore sudores excutiantur. Sumpto infuso calido florum sambuci statim copiosus erumpit sudor, sed qui paroxysmum non terminat, donec ille demum profluit, qui exacerbationem quasi critice solvit.

8) In hoc morbo *pruna cocta aut poma cocta* inflant summopere, & relaxando nil boni præstant. Comedi ipse *pruna sicca*, inde nauseosum saporem faucibus inhærentem ad tempus lenivi; comedi etiam sæpius poma cruda acida. Cibi cum aceto valent & aqua recens frigida.

Etsi *Acidum acetosum* optime conveniat, *vinosum tamen non* conducit, & plerumque etiam non sapit. Aromatica ante expulsionem saburræ biliosæ calores, inquietudines augent, & morbum sæpe desperatum reddunt. Hinc male agunt, qui roborantibus, calefacientibus nimis cito utuntur.

Acidum supra acidissimum & corrosivum a me per vomitum ejectum dixi, & paucos post dies materiam biliosam, priori materiæ,

 ut

ut videtur directe oppositam. At in ventriculo, qui glutinosa bile obductus est, acida pessima degenerare in acidissimam materiam possunt; saccum enim tali materia occupat a bile glutinosa inertem redditum. Famulus mecum mense Augusto febri laborans, quae paroxysmos cum vomitu conjunctos habuit, *materiam acidissimam* vomendo rejecit; alii in paroxysmo materiam biliosam. Fors orta ex ejusmodi observationibus vomitionis acidae suspicio de *bile acida* absorbentibus corrigenda; sed utique male. In Hungaria prandia & coenae quocunque anni tempore fere *eadem* sunt, eadem assumptorum copia, etsi aestate difficile, difficilius vero autumno cibos, carneos praesertim, & potum vini largiorem vix ferant.

Si febris biliosa redeat cum cholera, eaque talis sit, ut primae viae non nimium affligentur, erit is morbus, qui se ipsum optime curat, & ex quo curandi ideam medicus desumere sibi debebit.

9) Regulae diaetaeticae Hippocratis diversis anni temporibus datae verissimae deprehenduntur. Verissimum ibidem est, vomitum aestate & autumno magis necessarium, in hyeme vero purgationem per alvum.

10)

10) Methodus Sydenhamiana curandi febres autumnales hic aliquam consideratio-nem meretur, cum ille corticem adeo in iis necessarium deprehenderit, non vero damnosum plerumque, quartanisque tamen plerisque exceptis, quæ soli sæpe cortici auscultant, & sæpe ad *biliosas febres* non pertinent. Sydenhamus ergo potissimum de quartanis intelligi debebit.

11) Quare febres putridæ frequentiores & periculosiores in Hungaria sint, variæ sunt causæ.

12) Urina biliosa quasi croco tincta est, & sæpe deponit sedimentum subrubellum, fit jumentosa. Morbus Dominæ senioris de M*** fuit primario *biliosus*. Morbus Dominæ jun. d. M*** pariter *biliosus*. Morbus Patris St*** & coqui K*** fuit biliosus. Inflammatio hæmorrhoidum fuit solum affectio secundaria. Urinæ ardorem, dolorem in hypogastrio morbi biliosi sæpe habent, ut videre licuit in Domina de M*** sen. & Jun. item in Pat. St*** & coquo.

13) Non internoscuntur in Hungaria morbi *putridi* & *inflammatorii*.

14) Solent facere in autumno venæ sectiones; sed corpus illo tempore debilissimum est, & ad putredinem magis dispo-

ſitum, bili minus reſiſtere valet. Ergo per ſe venæ ſectio hoc tempore mala eſt.

15) Vinum in æſtate & autumno parcius bibendum. Sæpe id in aliis atque in me ipſo expertus ſum, ſi quid enim incocti, putridique in primis viis lateat, vini meraci potu ad vias ſecundas agitur &c.

16) In mea febre bilioſa, cum ob plures jam paroxyſmos emaciatus & pallidus eſſem, tamen bile quondam nimium turgente, faciem accepi *rubram*, æſtumque corporis, quæ omnia ejecta vomitorio bile ſtatim penitus ceſſarunt.

17) In mea febre bilioſa fœces *olidiſſimas* poſt emeſin cathartico eduxi.

18) Tumor ventriculi & hypochondriorum in morbis bilioſis ſæpiſſime deprehenditur, partim ob copiam materiæ ibi nidulantis, partim ob fibrarum laxitatem, quæ ſubinde diutius adhuc vexat, excuſſa jam omni ſaburra bilioſa.

19) Os in bilioſis ſubinde amarum, nauſeoſum & *ad nauſeam dulceſcens*, hos autem ſapores leniunt oxymel ſæpius & lente deglutitum, acetum, pruna ſicca, & tamarindi, taleoli ex citro.

20) Si emeſi opus ſit, & ea neglecta purgatio alvina inſtituatur, etiam ſæpius repetita;

petita; adeo nihil proficies, ut sæpius noceas plurimum, materiam ad secundas vias pellendo, vires debilitando &c.

21) Color in cholera biliosa varius. Vidi alvos cinericias in Domina de M*** jun. & tamen morbum fuisse biliosum, mihi modo certum est; has colornm varietates in biliosis morbis *Aretæus* jam animadvertit-

22) Novi multos, qui inedia febrem biliosam tollerent; utuntur potu aliquo theato & ab omni cibo diu & pertinaciter abstinent. Ad summam virium amissionem deveniunt tales, lente sanantur, & non, nisi qui robusto alias corpore sunt. Biliosa materia potu diluta, sensim magna etiam parte ad secundas vias translata, urinis & sudoribus difflatur, quæ breviori itinere ano & cato fuisset ejecta.

23) Hoc autumno raras vidi inflammatorias febres, easque, ut ita dicam, superficiarias solum, a perfrigeratione plerumque ortas.

24) *Pleuritidem biliosam* alvi subductione, aut frigida sanandam, a veteribus falso pro vera pleuritide habitam, *Aretaeus* memorat.

25) Successio morborum notari meretur, certum enim est, temporibus medici-

na

na valet, data tempore prodeſt. Sic morbus *inflammatorius* abire poteſt in *putridum univerſalem*; hic in *malignum*. *Maligna febris* eſt *incipiens gangræna*, & a putrido univerſali ſolo gradu differt. Gangræna autem duplici modo incipere poteſt, vel *prægreſſa validiſſima inflammatione*, vel etiam per ſe *hac non prægreſſa*. Hoc ultimum fit in *illis malignis febribus*, quæ ſubdole incipiunt, quin prava adeo ſigna ex pulſu & urina adpareant. Mirabitur quis gangrænam humorum in vivo homine eſſe poſſe: at ajo, eam *incipere primum*, cum certum ſit, nullam rem repente, ſed per gradus produci.

Si morbus *inflammatorius* ſtatim in *putridum*, hicque mox in *malignum* abeat, hæque ſucceſſiones brevi ſe invicem conſequantur, idque inter inſigniorem aliquem hominum cohabitantium numerum contingat, febris dicetur *peſtilentialis*, aut etiam ipſa *peſtis*. Adparet hinc, quare a multis venæ ſectio laudetur in peſte, a multis reprobetur, omnes bene obſervaſſe, & fideliter tradidiſſe obſervata credo, ſed in diverſis ſuccedentium ſibi mutationum ſtatibus factæ hæ obſervationes ſunt: ubi utique diverſâ juvaſſe & nocuiſſe manifeſtum eſt.

Pater

Patet etiam, quare ab aliquibus robo-
antia, antiſeptica, adſtringentia, ſudoriſe-
a, ab aliis antiphlogiſtica fuerint laudata.
Eandem differentiam morborum & conſe-
quenter etiam medicamentorum obſervavit
Zimmermann in *dyſenteria*, vide ejus tracta-
um de dyſenteria. cap. X. prope finem.

In phlogiſticis valet venæ ſectio, po-
us calidi, emollientes, acetum & mel.

In putridis univerſalibus venæ ſectio &
potus calidi, emollientia nocent, proſunt
acetum & mel & cortex.

In *malignis* cortex, acida foſſilia, cam-
phora.

26) *Hemicraniam* in bilioſo morbo ſæ-
pe animadverti.

28) Carnes utút molles, & carnium
uscula a bilioſo morbo reconvaleſcentes
egrius ferunt; farinacea autem fermentata
facile, id in me expertus ſum.

28) Repletio omnis tempore reconva-
eſcentiæ caveri debet ſummopere.

29) Longo tempore poſt morbum lin-
gua omni mane muco flaveſcente inſipida
obducta. Os inſipidum. Labia ſicca; ſcilicet
ob affluxum materiæ bilioſæ, mucoſæ ad
glandulas relaxatas. Præter diætam juvant
amara vino infuſa, eſſentia abſynthii com-

po-

posita. Essent. cortic. aurantiorum, motus mane & vesperi.

30) Longo post tempore per noctem sudor copiosus, nidorosus. Urina biliosa cum sedimento albo, rubello, eneoremate subsidente.

31) Mense Novembris rariores febres biliosæ, circa ejus finem disparuerunt, sola hinc inde quartana persistente.

32) Vomitoria si exhibenda sint, ea *statim* finito paroxysmo exhibeantur, quia tam magna materiæ febrilis vis ad primas vias, sicut etiam ad superficiem totius corporis sudantis, est allegata, ut ingens salivosæ materiæ in os affluxum tunc temporis testatur.

Post febres biliosas factis jam debitis evacuantibus, cum assiduus tamen ob laxitatem partium ad systema gastricum affluxus fiat, lingua mane obducta sit &c. *roborantia* dari debent. Optimum roborans erit tunc cortex peruvianus. At in me ipso expertus sum, eructationes materiæ nauseosæ, linguam obductam &c. nihilominus persistere, cortici ea addidi, quæ simul alvum leniter movent, sic bis, ter etiam quater per diem alvus mota est, eductæ sunt fœces olidissimæ, subinde penetrantem acrimoniam, imo acidum acidissimum spirantes. Lingua minus

minus obducta mane, os minus insipidum; junxi simul motum corporis, ambulando mane & vespere.

Multi sunt, qui hoc connubium corticis cum eccoprotico aliquo damnant, infringi vim corticis roborantem existimantes. At in nostro casu, ubi non solum roborandum, sed simul quædam morbi reliquiæ evacuandæ, hæc miscela omnino necessaria est. Imo efficaciorem existimo vim corticis roborantem, si aliquid, quod intestina vividius vellicet, ei jungatur. Hæc est ratio, quare *Lindanus* & *Thonerus* &c. in fluxu mensium nimio *adstringentia pellentibus* junxerunt.

Quod si salia cortici jungantur, movebitur quidem sedes; at sunt, qui debili ventriculo instructi inde doleant. Prælegi ego massam pilularum ruffi versperi ad scr. j. ad gr. xxiv. &c. sumendam. Acidum domatur ab amaricantibus, ventriculus roboratur, aut si putridi quid in primis viis lateat, id evacuabitur; cnm myrrha & aloe præterea vim quam maxime antisepticam possideant. Vis ipsorum calefaciens in reconvalescente. viribus fractis a morbo prægresso timeri adeo non debet, ut etiam directæ indicationi respondeat.

HI-

HISTORIA XXXVI.

Die 17. *Dec.* 1773.

Offis humeri excrefcentia.

Mortuus eft heri rufticus quidam in F. Thur., de quo fequentia notanda funt: Ante femialterum annum humerus dexter tumere incepit, dolor ad initium non magnus. Ante decem menfes tumorem vidi prima vice. Totus humerus magnitudine caput hominis æquabat. Cutis tenfa, nitida & ex albo rubefcens; humerus ad attactum carnofam & compactam fubftantiam prodidit, & non doluit ad attactum, nifi fatis rudis is fuerit; nullum prementis digitis veftigium. Interrogatus refpondi, vitium non effe in partibus carnofis, fed in ipfo offe, & quidem in capite offis, inque fcapula ipfa. Subftantiam offeam effe procul dubio fummopere excrefcentem, & fpongiofam. Chirurgum id aperiri volentem prohibui. Mortui cadaver exfuccum, & quafi tabe confectum effet, adparuit. Sectus humerus oftendit carnes impofitas bonas, fed dicta fuperius offa *excrefcentia*, *fpongiofa*, *mollia* adeo, ut cultello fcriptorio facile fciderim, ac fi carnem folidiorem, aut lardum interfperfis corpufculis durioribus cartilagineæ duritiei,

fcin-

ſcinderem foraminula ſpongioſi hujus oſſis partim glutinoſa materia, partim carnoſa erant oppleta. Vaſa ſanguifera per oſſis ſpongioſi ſubſtantiam crebra magnaque, ſed frequentia verſus cartilagineam capitis oſſis brachialis, qua obtegi ſolet, ſubſtantiam.

Exiſtimo dolorem ad attactum non fuiſſe auctum, niſi is tam validus fuerit, ut ipſam ſpongioſi oſſis ſubſtantiam compreſſerit. Vidi tamen tumorem in dextro genu, & potius in oſſe femoris ad genu. Mortuus autem pariter eſt ille homo. Non dubito, id repertum fuiſſet, ſi quis aperuiſſet.

HISTORIA XXXVII.

Die 16. Dec. 1773.

Febris lactea.

Domina de F**. ſecunda vice gravida partum in ſingulos fere dies exſpectat. Corporis boni, bonique coloris. Appetitu vegeto gaudet, & large comedit. Per aliquot noctes inquiete dormit, caletque. Hodie fecit venæ ſectionem. Sanguis cum cruſta phlogiſtica, poſt horam denuo aliquid ſanguinis emiſſum.

Die 21. *Dec.*

Ob alvum a triduo nullam, vefperi adhibitum clysma. Alvus dura, copiofa. Toto die leves lumborum dolores queritur.

Die 22. *Dec.*

Dolores lumborum majores paulo. Nox inquieta. Flatus multi *ανω* & *κατω*, tria clysmata alvum copiofiffimum duxerunt. Mane fequentis

diei 23. *Dec.*

dolores partus, fed per longiora intervalla, & breves. Circa meridiem intervalla breviora, dolores longiores, validiores; poft fingulos dolores os uteri aperiri magis magisque cœpit. Caput prævium obfervabatur. Poft fecundam pomeridianam partus. Funiculus umbilicalis longus admodum cum tribus circa collum pueri vegeti circumvolutionibus; intra feptem minuta fecundinæ fequebantur. Peperit in fella perforata. Bonum effet fi tales fellæ ita effent confectæ, ut reclinari poffent, ut fimul vices lecti facile mutatione poffent fubire. Puerperam curavi ftatim in lectum reponi genubus ad fe invicem pofitis, & verfus abdomen adductis, poft horæ quadrantem facta abdominis ligatura. Poft horam datum jusculum,

Pue-

Puero recens nato poſt tres a partu horas datum ex miſtura ſequenti eſt:

℞. Aquæ font. ℥ij.
Syrup. cichor. cum rheo ℥j.

eo die abſumpta per vices eſt tota hæc portio. Eo die & nocte meconium copioſum abiit. Vomuit etiam eandem fere materiam, glutinoſam admodum a partu; eo die pulſus febrilis, dolor capitis. Somnus tamen noctu ſat bonus. Mane bene ſe habuit. Dolores *poſteri* per intervalla die partus, non adeo vehementes.

Notanda ſunt in hoc caſu ſequenda:

1) Diatheſis phlogiſtica in fœmina euſarca, bene paſta, & utilitas venæ ſectionis ultimis menſibus; aliter obſervavit *Hippocrates* & nos cum illo in fœminis, aut debilibus, aut ſaltem ob vitam laborioſam, diætam minus nutrientem, minus ſanguineis.

2) Neceſſitas clyſmatum frequentiorum diebus aliquot ante partum, & etiam proxime ante eundem.

3) Curavi in dolorum intervallis vaginam & labia pudendi inungi unguento dialth. calida manu.

4) Graviter inculcandum fœminis, ne ob leviores dolores, cum intervalla dolorum adhuc magna ſunt, cum uterus necdum hiat,

in ſella reponantur, aut ad laborandum moneantur, cum partim labore, partim mente puerperæ enerventur *ante tempus*.

5) Syrupum mannatum dolores colicos recens natis cauſſare ſæpius deprehendi.

6) Die 24. Dec., altero ſcilicet poſt partum die puer adplicabatur ad ubera matris. Lac exiguum adhuc, attamen & qualitate & quantitate bonum pro tali puero; extra tempus ſuctionis prodeſt oleo amygdalino papillam inungere, ut molleſcat, minusque doleat a ſuctione.

Die 25. Dec.

Bene ſe habuit per omnia.

Die 26. Dec.

Tota die bene ſe habuit, noctu frigore correpta, acceſſit abdominis tumor & dolor. Æſtus, dolor lumborum. Vix lochiorum veſtigium. Sitis. Mammæ turgent. Puer nauſeat ſugere.

Die 27. Dec.

Mane curavi enema emolliens, item pannos laneos aqua calida tinctos ad abdomen adplicari. Enema quater per diem, & fomentatio bis repetita. Dolores abdominis, lumborum, capitis, æſtusque ſudore ad noctem largo terminabantur. Sæpius eo die datum altheæ decoctum cum nitro. Ex

mam-

mammis turgidis nullum lac poterat exugi. Ergo cataplasma emolliens adplicatum, & demum poſtea tentata eſt ſuctio, quæ optime ceſſit. Pueri alii renuebant alienam matrem ſugere, ſed in tenebris decepti id fecerunt, propriam tunc matrem ſeſe ſugere exiſtimantes. Noctu ſomnus bonus.

Die 28. Dec.

Fomentum abdominis, & enemata ut heri. Ante meridiem bene ſe habuit. Lac copioſum ſponte fluens. A meridie brevi frigore, dein æſtu, ſitique correpta eſt. Leves abdominis dolores tempore ſolummodo rigoris. Mammis duris adpoſitum eſt cataplasma, ex iisdem enim duris & turgidis nil ſuctione elici potuit. Puer adplicatus renuit ſugere. Pulſus continuo celer. Noctu nullus ſomnus.

Nota. 1) Efficaciam clysmatum ex aqua tepida, & fomentationum ex eadem aqua.

2) Duræ mammæ prius emolliri cataplasmate aut aquæ calidæ vapore debent, & primum poſtea ſugendæ.

3) Mater, quæ plus lactis conficit, quam ut ab una prole exſugi queat, ab aliis pueris aut adultis ſuperabundantem copiam ſibi detrahi curare debet.

4) Ratio, pueros ad alienas matres adhibendi, in tenebris. Puer medium annum natus difficillime jam aliam nutricem, fugit.

5) Adulti, qui fugent, modeftiffime & leviffime id facere debent, quia nimium fortis fuctio & dolorifica eft, & nihil elicit.

6) Juscula carnium fucculenta, carnesque in fæmina copiofius lac conficiente omnino prohiberi debent. Panatellæ aquæ fufficiunt.

7) Si febris lactea adfit, caveri omnis potus *frigidus* debet, ne fudor criticus prohibeatur.

8) Notandum, pueros lac matris febricitantis falutariter averfari. Lac illud a puero adultiori, aut homine adulto exfugendum, & poftea demum præbenda puero ubera funt. Interea vero puer aut aliam nutricem fugat, aut panatella tenuiffima ex pane tofta, medietate lactis & aquæ facta vefcatur.

Die 29. *Dec.*

Mane pulfus minus celer, calores parciores; circa meridiem brevis horror, dein calores paulo majores, rubor genarum, & fubinde rediens, abiensque abdominis dolor, fed levis tamen, item dolor lumborum. Lochia hucusque parce fluunt. Circa quintam pomeridianam brevis horror. Pulfus tota

die

die *celer*, attamen hucusque nunquam *durus* fuit. Dolor capitis tota die, mane tamen major. Noctu somnus bonus.

Clysmata emollientia, fomentum abdominis, cataplasmata emollientia ad mammas, potus nitrosus totam curam absolvunt. Ex mammis emollitis per cataplasmata lac exsugitur.

Die 30. *Dec.*

Tota die commode se habuit, ad vesperam paulo major calor. Somnus a nocte exiguus. Nulli tamen dolores. Infantem sola lactat. Mammæ molles. Infans quietus absque ullis torminibus.

Nota. 1) Die 29. & 30. & consequentibus diebus, etsi paroxysmos passa mater, tamen prolem suam sola absque ullo prolis vel suo proprio incommodo lactavit. Quod observationi octavæ superius adscriptæ utique contrarium est.

2) Possunt proles de nocte clamantes alio modo nutriri per famulas, quin nutriens mater lactando quietem sibi turbet. Scilicet pauxillum panis tosti aut bis cocti, aut crustæ, quæ ad sartaginis fundum adhærere solet, dum pulmenta coquuntur, in linteolo ligari, liquori ex aqua & lacte, vel soli lacti intingi, unde puer linteolum sugere potest.

Die 30. ad noctem puerpera ructus acidos questa est. Inde omissis prioribus quotidie bis pulveres ex magnesia alba & lapidibus cancrorum sumere jussa. Bibat ter, quaterve per diem vasculum infusi florum sambuci, aut specierum dialthea.

Brevis descriptio anni 1773.

Descriptio brevis epidemicæ febris anni 1773

Autumnus anni 1772 calidus, siccus, & diuturnus; pauci morbi.

Hyems secuta est brevis, nives raræ, brevi evanidæ.

Ver sequens (scil. anni 1773) mature incipiens, minus inconstans, & siccum potius, calidumque. Mense martio pleuritides, peripneumoniæ. Aprili febres intermittentes, quæ post paucos paroxysmos in peripneumoniam aut pleuritidem abierunt.

Æstas sicca & calida præter modum, pluviæ nullæ, ariditas maxima. Febres intermittentes, remittentesque, cum vomitu, diarrhœa, aut cum cholera frequentissimæ. Recidivæ plurimæ. Puerperæ hoc anni tempore plerumque inciderunt in febres biliosas, cum vel absque vomitu. Variolæ, quæ hoc verno tempore erant mites & boni moris, in æstate factæ sunt malignæ, scilicet pustu-

læ

læ multæ, ſed complanatæ cum puncto livido, nigro, & introppreſſæ in medio puſtulæ. Inflammatoriæ febres rariores, & ſi quæ fuit, ea primæ plerumque venæ ſectioni ceſſit, perdurante interim febre biliofa, ſubinde continua, plerumque tamen remittente, aut intermittente, quæ cum illa altera, inflammatoria ſcilicet, ad initium conjuncta fuit.

Autumnus calidus primo & ſiccus, de-in humidus; nebulæ, pluviæ, frigus pro ratione temporis exiguum. Ultima decem-bris primas nives, primamque glaciem, li-cet ſuperficiariam tantum, dedit. Morbi idem, qui per æſtatem, ſed numero & vi-ribus inferiores. Hoc autumno eryſipelata non infrequentia.

Notari poſſunt ſequentia:

1) Victus paucus, excarnis, vegetabi-lis optimum præſervans fuiſſet hac æſtate. Peſſimo errore eodem toto anno diæta, eaque ex carnibus potiſſimum hic locorum obſervatur. Quadrageſimale jejunium potius in æſtatem transferri deberet. A bubula prorſus abſtinendum; melle, aceto, fructi-bus vivendum. Utendum balneis frigidis. Vitandus æſtus in meridie. Cavenda mane, veſperi, noctuque perfrigeratio.

2) Variolæ malignæ ob prædispositionem corporis.

3) Corpus quacunque occasione aut morbo alio inflammatorio, labore nimio, puerperio, si fuit debilitatum, statim plerumque morbus biliosus se adjunxit.

4) Recidivæ I. partim ob remanentem aliquam materiam febrilem, II. partim ob caussas morbi perseverantes. III. partim ob debilitatem ex priori febre, unde novus fomes colligitur, hinc *diæta excarnis*, & *cortex curans*, & *præservans*. Curatio biliosarum incipit *solventibus antibiliosis*, scilicet solo oxymelle simplici, dein *evacuantia per epicrasin*, & demum *cortex*.

Observationes varii argumenti die 5. Jan. 1774.

Observationes varii argumenti.

Franciscanus quidam de sequentibus me consuluit. Ætatis est 29 annorum, lector, sanus fere semper ab infantia. A quatuor, aut tribus annis vertigo, dolor capitis ad frontem subinde, sæpe in occipite, cervice, interscapulari, subito ingruens respirandi difficultas, debilitates repentinæ ita, ut vix non concidat. Borborygmi. Et (de quo etiam est conquestus) dolorifici & urentes ruc-

ructus, & contorſiones ventriculi, præcipue a quarta pomeridiana ad cœnam usque, & iterum aliquo poſt cœnam tempore, usque ad decimam noctis. A duris cibis, carne fumata, braſſica fermentata, a ſpirituoſis, a coffee, a defectu commotionis corporis, pejus habet. Item ab amaricantibus medicamentis, a pilulis variis roborantibus. E contrario melius habet ad aliquot ſaltem dies a venæ ſectione, ab hirudinum adplicatione, a commotione corporis.

A longo tempore tubercula hæmorrhoidalia proſtant.

Alvus ut plurimum difficilis. Subinde tamen ad aliquot dies laxa & diarrhæica.

A purgantibus dolor ventriculi non levatur. Quotiescunque venam ſecat, ſanguis cruſtam phlogiſticam habet.

Svaſi diætam vegetabilem, levemque abſtinentiam a ſpirituoſis, motum corporis adplicationem hirudinem frequentiorem. Uſum nitri, ſed valde diluti.

Notandum 1mo. Affectiones hypochondriacas non marte nec cortice ſed *methodo antiphlogiſtica* curandas ſnbinde eſſe.

2do. Dolor ventriculi non roboraintbus, nec purgantibus, ſed eadem methodo ſcilicet *antiphlogiſtica* curandus.

2do.

Dominus Generalis B*** febri erysipelatosa laborans, factis binis venæ sectionibus sanguinem habuit cum densa crusta phlogistica. Dum ad vesperam balneum pedum adhibet, majorem sanguinis orgasmum, & cerebrum magis affectum sensit. Dominus Referendarius M*** in febre continua remittente, quæ emanentibus demum paroxysmis in simplicem continuam ubiit, idem sensit a balneo pedum. Item a potu theato *calido*. Febris autem fuit *biliosa*.

Notanda. Balneum pedum in inflammatoriis, aliisque, ubi major, humorum motus est, nocet, si *calidius* sit, notabiliter corpori ægrotantis. Valet autem ad emolliendas fibras, diluendum sanguinem &c. si eundem cum corpore ægrotantis calorem habeat. Idem de potu theato, qui solum *tepide* propinari debet.

Res est magni momenti, cum sola hac providentia & medico & ægro plures molestiæ, quæ alias ab inquietiori nocte sequi solent, præcaveantur.

Domina O***, vidua juvenis, sanguinem plerumque phlogistica crusta tectum habens &c. dolore punctorio, sæpe atroci, a meridie ple-

plerumque infeftari folebat. Dolor autem pertingebat ex hypochondrio denuo verfus ventriculum & fubinde etiam verfus umbilicum. Solito thoraculo, fumpto potu calido, fumpto cremore tartari ceffabat, fi fimul decubuit. At poftea ne tum quidem. Nitrum non profuit. Abftinuit fefe a potu vini & caffe & dolor non amplius rediit. *Affectio hyfterica* non marte, nec cortice, quæ quidem duo in alia fpecie optima funt, fed *methodo antiphlogiftica* curanda.

In me ipfo expertus fum, poft febres biliofas coctionem tardam effe, ventriculum facile gravari, carnes præcipue difficillime digeri, urinam magis flavam, cum fedimento fæpe, os aut faltem labia ficca, eructationes amaras, diarrhœas biliofas &c. adeffe; cortex infultus febriles quidem prohibet, at plus quam per duos menfes, etfi febre carens, omnibus tamen fupradictis incommodis laborabam. Amaricantia, vina roborantia, aromata &c. nocuerunt potius, ftimulo fuo affluxum biliofæ materiæ ad primas vias invitando. Sudore diffluebam omni nocte olidiffimo, & nares feriente fummopere. Fæces poft efum carnium præcipue, diarrhœcæ,

icæ, ſaturate flavæ & olidiſſimæ uti ſudor. A vino abſynthite male habui. Poma citri in taleolis ſecta & mane ac veſperi deglutita cum pauxillo ſacchari averruncarunt omnia hæc incommoda. Os & lingua, quæ ante glutinoſa, & quaſi farina comeſta oppleta omni mane erant, itemque inſipidum os &c. emendabatur.

Præfero poma citri obſuam auſteritatem pomis aureis & quibuscunque aliis acidis. Acida mineralia etiam diu admodum poſt ſumptionem eructationes cauſſabant, & eorundem ſaporem etiam dudum antea deglutitorum, diu poſtmodum adhuc ſenſi. Minus ergo accepta ventriculo erant.

Spes eſt non modica, tales aliquot taleolas, adhibita ſimul doſi corticis, tempore æſtivo & autumnali *optimum præſervativum* contra morbos bilioſos, putridos fore.

Cum prima Januarii ſiccum & rigidum frigus ingrueret, meas ventriculi aliasque a febre bilioſa remanentes moleſtias paucis diebus ſummopere diminutas vidi.

Dominus de M** patitur affectiones hypochondriacas, ſi animi motum majorem, præcipue indignationem patiatur. Item ſi

in

in vino plusculum excedat. Incipiente ſomno ſolet leviter convelli. Homo obeſior paulo, icutis inflammatoriis non obnoxius. Sedentarius, coloris boni. Dolores vagos hypochondriorum, axillarum, coſtarum &c. experitur. A camphora, aſa &c. male habet & convellitur in ſomno. Ergo non ſolum in laxo & debili corpore affectio hypochondriaca; ergo non ſemper nervina dicta, aut roborantia danda. Vidi plures hypochondriacos, in quibus non poterat accuſari *laxitas*, ſed potius *ſtrictura*, *ſiccitas*, aut *phlogiſtica diatheſis*. Imo in dicto Domino de M**, nec *laxitas* nec *ſtrictura*, nec *phlogiſtica diatheſis* accuſari poteſt, plurimosque vidi, in quibus eminens aut *laxitas*, aut *ſtrictura*, aut *diatheſis phlogiſtica* fuit, quin tamen ullo modo *affectio hypochondriaca* adfuerit; nihilominus tamen denuo repeto, hypochondriacos me plures vidiſſe, in quibus potius nimia *ſtrictura* aut *phlogoſis* fuerit, quam *laxitas* & *debilitas* partium.

Ergo affectio hypochondriaca curatur ſubinde, curata partim debilitate, ſæpius vero profligata phlogoſi, ſiccitateque partium, cum hujus affectionis eſſentia in neutro quidem vitio conſiſtat, arcte tamen cum alterutro conjungatur.

Pa-

Patet tamen illam adesse posse, quin aliud vitium in corpore prædominetur, quocum illa conjuncta sit. Hoc in casu difficilior erit curatio. Sola forte philosophia & prudens religio & in Supremi providentiam plena hominis confidentia mentem ægrotantis confirmabunt, cavendo interim ne quidem in ullam partem excessus committatur.

Curatio illa affectionis hypochondriacæ, quæ prædominans aliquod corporis ipsius vitium curat, & hoc curando ipsam simul affectionem hypochondriacam sanat, *indirecta est*, at *necessaria sæpe*, *& unica.*

In parocho Ok*** peccat *siccitas & partium strictura*; inde affectiones aliquæ hypochondriacæ.

In parocho H** peccat *humorum plenitudo* & eorundem *phlogistica dispositio*; inde affectiones graves hypochondriacæ.

Dominus F*** de T***, item Dominus de M*** ad morbos *inflammatorios* pronissimi sunt. Primus inde præscit, se proxime ægrotaturum, si se pinguiorem, robustiorem-

que

que factum esse sentit. Convenit hæc animadversio cum observatione Hippocratica. Alter in venæ sectione, quam frequentissime instituere debet, crustam semper inflammatoriam in sanguine habet. Notandum autem est, utrumque hunc virum nullos unquam excessus comittere, etsi diæta *carnea & vinosa* ut plurimum utantur. Primus prævenire posset abstinentia, & diæta vegetabili, item venæ sectione, dum sentit, se robustiorem factum esse. Alter vero diæta potissimum vegetabili & refrigerante.

Parochus in G***, dolore ventriculi, & colico fere quotidie laborat; homo siccus, biliosus, calidus. Nocent calida. Juvant refrigerantia, & humectantia: hocque in casu optima sunt *stomachica*. Huc pertinet historia de Franciscano ventriculi dolore laborante, quam superius enarravi.

Lues pecorum videtur esse *febris putrida maligna*. Cum cortex tanta quantitate haberi non possit, aliud antisepticum, acidum, adstringens excogitari debet; quamvis arbor chinchinæ æque uti cerasus in hortis nostris plantari possit. Sed dolendum, quod dum novæ inventiones fiant, nova

bonaque dentur consilia, ea in libris solum continenantur, & nulla ratione de publicando emolumento, de vulgando cogitetur, quomodo scilicet ipsi rustico res inventa innotescat. Multa habemus utilia, & pulchre excogitata a variis academiis, sed quare in actum universaliter non ducuntur?

Species vaccarum (Buffelkühe) plurimum lactis dant; lac pinguius plusque butyri dat. Butyrum peculiari, sed non ingrato odore gaudet, & est coloris levissime viridescentis. Ferox species vaccarum est, a famulis robustis tractanda, amat loca humida, lutosa. Vili nutrimento contenta. Per duos annos factum experimentum est, & singulo anno una vacca dedit butyri jam depurati 1/6 urnam; a lue peccorum non facile corripiuntur.

Die 25. Mart.

Parochus in S*** temperamenti sanguineo-colerici homo; macer, queritur frequentes lateris, ni fallor, sinistri puncturas, constrictiones dolorificas ventriculi, subinde dolores colicos, tinnitum aurium, spasticas digitorum contractiones, item etiam labiorum. Subito quasi animi deliquio corripitur,

tur, ubi se e statim apoplecticum fore existimat, anxietas, sensuumque confusio, frigus pedum, calores subitanei. Pejus habet a spirituosis omnibus, a purgantibus; juvatur venæ sectione, & magis adhuc hirudinum adplicatione, etsi nulla habeat tubercula hæmorrhoidalia. Ab aliquot annis eadem symptomata sentit, sed antea mitiora longe.

Caussa morbi est sanguis per vasa intestinorum lente circulans, ibique congestus, vasa dilatando dolores & spasmos ciens. Methodus antiphlogistica, diluens prodest.

Notandum. Plurimos vidi eodem morbo laborantes, qui omnes *ore unanimi* insigniter sibi ab apoplexia metuunt, seque ea proxime corripiendos existimant. Diffidentia in medicum, medicorumque mutatio.

Vino hi parcissime utantur, ira ad quam pronissimi sunt, abstineant. Vidi enim, post iram statim omnia hæc symptomata ingruisse. Pulsus in Parocho paulo naturali citatior, urina flava magis, cum eneoremate subsidente, somnus bonus, uti & appetitus.

Facta venæ sectione, jussus est parciori diæta uti, & sero lactis cum herbis.

Paroxysmus hypochondriacus consistit in quodam sensuum fere confusione, ubi se

in terram ſubito ruituros, & appopleӕticos fore metuunt. Anxietas ſumma. Cordis palpitatio. Vertigo. Pulſus celer, inæqualis, micturitio, ſubinde mictus frequens ſed urina pauca, limpida, ſubinde vero copioſiſſima limpidiſſimaque. Tremor artuum. Mentis proſtratio & timor ſingularis majorque quam in omni alio licet graviſſimo morbo. Excitatus fuit hic paroxysmus in noſtro Parocho ira ſubita (ad quam proniſſimi ſunt tales) ſtudio & attentione animi nimis producta; diuturno colloquio & nimia jucunditate (cui ſubinde tales plus æquo indulgent) vino meraciore; motu corporis ſub ſole nimio. In tali paroxysmo valent fœtida, aceti odor, acetum deguſtatum, deglutitum. Solâ animi fortiter reſiſtentis obfirmatio ſemel paroxysmum depulit, quum firmiter propoſuit, nil mali ſibi futurum, remque eſſe exigui momenti.

Menſe Martio.

Vocabar Viennæ ad clericum juvenem in collegio Pazmanniano decumbentem, vices ordinarii medici tunc ægrotandis ſupplens. Laborabat febri continua remittente, circa medium paroxysmi ſanguinem ſputo copioſe

reje-

rejecit, cum oppreſſione pectoris, ardoreque. Vena ſecta eſt; cortex peruvianus & adſtringentia data ſunt, ſed omnia fruſtra. Sanguis cum cruſta phlogiſtica. Paroxysmi dato licet copioſo cortice nil remiſerunt. Mutata methodus eſt in *mere phlogiſticam*; ſecta adhuc vena, decoctum ſolvens datum morbo feliciter medebantur.

Notanda. Morbus hic videtur fuiſſe *peripneumonia vera*, ſed ob ſanguinis majorem impetum, & debiliorem vaſorum pulmonalium habitum facta rhexis eſt, ita ut dum alias ſputa ſolum *ſtriata*, aut *crocea* ſoleant efferri, in hocce morbo ſanguis pleno rivo erumperet. Adparet ergo ſolam *methodum ſumme antiphlogiſticam* potuiſſe utiliter adhiberi.

Eodem menſe in alio juvene vidi *peripneumoniam cum largiſſima ſanguinis rejectione*, quam fruſtra per modos hæmopthyſios, datis ſcilicet adſtringentibus curaſſes.

Vidi plures hæmoptoicos hujus ſpeciei.

Suadet *Roſenius*, ad roborandos poſt morbum pulmones corticis uſum. At in *hac ſpecie* cortex certo noceret, cum ſanguinem magis compingat, partes adſtringat, & dia-

thesin phlogisticam adeo non destruat, ut illam etiam augeat.

Solent quidam *usum frigidi potus* sub actuali sputo sanguinis suadere. At in hac specie hæmoptyseos id esse perniciosum facile patet. Sed neque *actu calida* conveniunt, nec *pedum balnea calidiora*, nec vesicantia &c., sed venæ sectio, potus solvens, clysmata, & *tepida* omnia assumantur.

Post morbum diæta vegetabilis, serum lactis, somnus moderatus, labor, sed moderatus præcavent.

Die 5. *April.*

Domina de H*** prima Aprilis peperit. Quinta Aprilis mane calores, doloresque capitis; puncturas vagas in hypochondriis experitur. Alvus a triduo nulla. Dato suppositorio alvus secuta est dura, inde bene se habuit.

Nota hoc vere 1774. Quotquot erant puerperæ, feliciter peperunt, & pari felicitate absolvebant puerperium. Præcedenti *æstate & autumno* periclitabantur, & fere omnes aut choleram, aut remittentem febrim, aut intermittentem acceperunt. Ergo respectus debet fieri in tractatione puerperatum etiam

ad

ad anni tempus. In autumno tuto poterant dari purgantia, etiam vomitoria, dein cortex; aut folús cortex.

2) Vidi multoties primis a partu diebus infufum foliorum fennæ purgandi fcopo tuto, imo utiliter affumptum effe, quod ipfæ puerperæ proprio marte faciunt. Adeo lochia non emanent, ut etiam largius fluant. Lac ad alvum determinatur, fitque felix a mammis non lactantibus revulfio.

Domicella N*** (Hiftoriam vid. p. 184.). In bacchinalibus tumuerunt pedes. Modo autem non amplius. Ventriculus a paftu & ad attactum dolet, pallet, emaciatur. Dato decocto amaricante leniter purgantia; nil emendatum eft. Dedi ergo fequens.

℞. Pulver. cort. aurantior.
— — — — peruvian.
Extract. Gentianæ āā ʒvj.
Myrrh. elect. ℥β.
Flor. macis
Pulv. cort. cinnamom. āā fcr. j.
Ol. ftillatit. menth. gtt. viij.
Syrup. abfynth. q. f.

F. Electuar. ter de die magnitudinem nucis mofchatæ.

Nota. Domicellam hanc plene reſtitutam, optimi coloris & appetitus die 14. Maii

---

Die 1. *Jan.* 1774.

Hodie quidam locumtenens mihi ſequentia narravit, ſcilicet ſe adhuc decennem ab inſtructore ſeductum pollutionis modum & ſcortationem didiciſſe. Jam tunc, decimo ſcilicet ætatis ſuæ anno fluxiſſe quid ex pene ſollicitato omni die, poſtmodum, ſaltem omni alterno die, pollutionem manu ſib feciſſe, interjectis ſimul ſæpe repetitis fornicationibus. Aget modo 19num ætatis ſuæ annum, & hucusque ſeſe polluit & fornicatur promiſcue. Homo altæ, ſolidæque ſturæ, robuſtus; pinguis & quadratus. Frequentem cogitur venæ ſectionem adhibere, patitur non raro morbos acutos. Ante biennium gonorrhæam accepit, quæ curata ſubinde, ſæpius tamen rediit ſponte. Gonorrhæa ceſſante per medicamenta, jam bis, ortus eſt bubo magnus, hoc autem ſponte evaneſcente denuo rediit gonorrhæa. Materia ex albo flaveſcens absque dolore & parce fluit. Mictus non dolorificus, modo autem omni mane glandem ſolummodo ſolito magis tumeſcentem experitur. Ulcuscula

glan-

glandis venientia & denuo evanefcentia. Affeveravit fe majorem ex pollutione voluptatem experiri, quam ex coitu, idque ex eo fieri, quod pulcherrimam fibi perfonam aliquam, quam aut viderit, aut fibi imaginatione fua efformet, mente fibi proponat, indeque exquifitiffimam fibi voluptatem oriri, quam in coitu cum fœminis illis, quæ fua pulchritudine fœminam illam immaginariam non adæquant, non experiatur. Refert etiam fe femel, dum gonorrhæa, penisque rigiditate dolorifica ita laboraret, ut dum erigeret, penis incurvatus maneret, fummo cum dolore, æftro venereo percitum, coitum maximo fimul cum dolore tentaffe, fed tunc in & poft coitum largum & merum fanguinem ex pene effluxiffe.

Quædam circa ufum roborantium.

Si quis fit ftomacho languenti, roborantia forma ficca præfcripta ad initium non feret, nifi *exigua dofi* præfcribantur. Decocta facilius feruntur, fi parce dentur, nec *valde frigide*, fed ad initium tepide. Electuaria facilius feruntur, nifi fors multi pulveres ingrediantur.

 Sunt,

Sunt, qui mane nihil ferunt, aut quia aſſueti ſunt, jejuno ventriculo eſſe, aut quia vacuus ventriculus moleſte afficitur ab ingeſtis inſuetis. Primum ſi ſit, proderit a meridie hora quarta, item ſexta dare medicamentum, hora octava levem cœnam, & hora decima, ſcilicet antequam cubitum æger concedat, denuo doſis dari poteſt. Tali ratione cortex, qui mane ſumptus purgat nonnullos, in ſubſtantia accipi poterit, id quod melius erit, quam adjuncto opio vim purgantem inhibere, quod utique alia ratione nocere poſſet ob narcoticum opium.

Vina medicata mane a multis ſumi non poſſunt, quia nauſeam, cardialgiam, alvum fluxam efficiunt. A meridie ſi ſumantur, hæc incommoda prævertuntur.

Cortex ſubtiliſſime pulveriſatus in vasculo cum caffee & lacte & majori ſacchari portione adjecta facile ſumitur. Item ſi cortex prius decoquatur, deinde cum hoc decocto paretur caffee. e. g.

℞. Pulver. cort. peruv. ℥iij.

Coque per ſesquihoram cum ſufficiente quantitate aquæ usque dum ſuperſint duo vascula coffeana liquoris, dein injice pulverem coffe, quantum majori cochleari capi poteſt,

reſt, & coque per quadrantem, bibatur per modum caffee cum ſaccharo & lacte, *tepide.*

Reſiduum aſſervari poteſt & adjecta mediętate prioris doſis cum eadem quantitate aquæ ad duo vascula decoqui poteſt.

Pro tertia autem decoctione priora penitus abjiciuntur, & integra doſis ingredientium decoqui debet. Pueris delicatis ad potum caffee jam aſſuefactis hic modus optime convenit; item hominibus aliis delicatis, aut etiam iis, quibus occulte & ignorantibus cortex dari debet.

Vidi ſæpe homines ruſticanos apepſia, aliisque ventriculi languentis malis, vomitu &c. laborantes ſat longo tempore, a prægreſſis potiſſimum febribus, quin tamen inſigne aliquod decrementum ſenſerint quoad vires, ratio eſt, quia viæ ſecundæ adhuc ſatis robuſtæ defectum primarum ſupplent.

Verno tempore vidi multos diatheſi inflammatoria laborantes, ſimulque appetitu dejecto, oris amarore &c. his aceſcentia, ſolventia, in ſpecie ſerum lactis convenit. Sæpius autem requiritur primo venæ ſectio, potus ſolvens, demum leniſſima purgantia per epicraſin danda, rhabarbarina potiſſimum

mum. Sunt alii, in quibus nulla phlogiftica diathefis, fed macies, pallor flavefcens faciei, languor virium, amaror oris, dejectus appetitus, pondus ventriculi &c. deprehenditur. His conveniunt folventia ex gummi ammoniac. aloe, myrrha &c., quæ leniter alvum moveant, & roborent. Roborantia denuo fubjungenda funt.

Nota. Sola roborantia nunquam optatos effectus præftiterunt, purgantibus fcilicet omiffis. In morbo virginum pallido præmittenda funt femper leniffima purgantia per epicrafin danda, & fimul roborantia: certa hoc me docuit experientia. Hi morbi vernales fæpe mites admodum funt, diu moleftant hominem, antequam ad *confueti alicujus morbi fpeciem* referri poffint, diuque manent *imperfecti.* Sed cum valde *frequentes* fint, & graviorum morborum antefignani, juvat curam certam & eorum defcriptionem præmififfe.

Quædam de morbo hypochondriaco.

Diu certatum eft inter autores, quidnam per morbum atrabilarium intellexerint veteres. Facta a recentioribus divifio eft in morbum hypochondriacum *cum materiâ*, & in

eum,

um, qui eſt *ſine materia.* Nil certi ſtatue-
ur, niſi morbi hujus hiſtoriæ ſat numero-
æ colligantur, collectæque comparentur.

Vidi morbum hypochondriacum fre-
quentem in Hungaria ab impedito ſanguinis
per vaſa abdominis motu, inde ani varices,
colica, dolor ventriculi, & omnia illa ſymp-
tomata, quæ alibi toties adnotavi.

At vidi aliam ſpeciem hypochondriaco-
rum, ad quam egomet pertinui poſt mor-
bum acutum, *quæve potius* & ſtricte *ſine
materia* appellari meretur. Orta poſt nimi-
am ſanguinis deperditionem. &c. &c.

Vidi in medicinæ ſtudioſo poſt nimias
venæ ſectiones in acuto morbo, eundem mor-
bum, quem ego habui, ex eadem cauſſa.

Alius medicinæ ſtudioſus poſt nimia ſtu-
dia factus hypochondriacus (hujus hiſtoriam
Doctor Plenciz mihi perſcribet); hoc ſolum
ſcio, appetitu gaviſum vegeto, ſomnoque
bono, color ut ante, nihilque mutatum ap-
parere in œconomia naturali, animalique
aut vitali, niſi quod de debilitate cerebri
conqueſtus fuerit, ſi ſtudium aliquod repe-
tere voluit, aut ad aliquid ſerio ſe adplicare.

Alii ſunt, qui appetitum habent de-
ſtructum, coctionem læſam, luridum faciei
colorem &c. de his *Lindanus* ait apud *Ett-
mül-*

müllerum ſe hos curaſſe, *curato & roborato ventriculo*, adjungit etiam, fruſtra hic curari viſcerum abdominalium abſtructiones.

At alii certe ſunt, qui poſt diuturnas febres in viſcerum obſtructiones incidunt, inde hypochondriacum malum, qui certe aperientia requirunt, & ubi plus requiritur, quam ſolum ut roboretur ventriculus.

Certe diverſæ ſunt hæ corporum dispoſitiones, attamen in eo pleræque conveniunt, quod *mentem* valide afficiant, hominem reddant *meticuloſum, mobilem & inconſtantem* &c. &c.

Morbus hypochondriacus primo deſcriptus, ex tardo ſcilicet motu ſanguinis & *infarctu ſanguineo* vaſorum in abdomine; item morbus altero loco deſcriptus, quo ego & uterque medicinæ ſtudioſus laboravit, *quoad effectum in mente productos* ſat bene conveniunt, licet longe dispar cauſa ſit. Conferri in hunc finem & mei morbi, & Parochii in S** poſſent, ubi quæ convenientia, aut disconvenientia eſſet, facile apparebit. In prima tamen ſpecie per *paroxysmos* plerumque vexat morbus, ſymptomata ſunt luculentiora.

Sta-

Statum tertium, de quo *Lindanum* disserentem adduxi, & quantum, ubi obstructiones viscerum abdominalium aut ex defectu motus, aut ob prægressas febres ortas morbi causam esse dixi, neutiquam cum prioribus duobus morbis sunt confundendi, etsi enim mentem valde afficiant, hominem tristem & melancholicum efficiant, tamen id sæpius in *tertio* saltem statu fit ideo, quia ægroti sunt plerumque ex litteratorum classe, qui motus defectu, continuo studio coctiones læserunt, & per ipsa studia mentem abstraxerunt ad alia, ut hominum consortio vix afficiatur.

Status quartus sæpe mentem non afficit, aut, si afficiat, tunc id fiet vel ob rationem eandem, quam paulo ante dedi, & quam ad naturam studiorum, defectu consortii humani, ejusque fugam potius referas, quam in materiam obstruentem; vel si etiam mens afficiatur, id fiet ob massam sanguinis hac materia infectam, hæcque mentis affectio non ad *symptomata sic dicta nervosa*, sed *melancholiam proprie sic dictam*, *ad maniam*, *morbum atrabiliarium Boerhaavii*, fors etiam *Hippocratis* & *Antiquorum* erit referenda.

Sta-

Statuſ ſecundo deſcriptus optime convenit cum *paſſione hyſterica fœminarum delicatarum.* Sed in fœminis euſarcis, pleni habitus, laute viventibus, otioſi, vidi *ſymptomata quaſi hyſterica*, quæ cum *primo ſtatu* virorum a me deſcripto conveniunt.

En confuſio nominum hac in re! Conveniret diſtinctis nominibus inſignire quemlibet iſtorum morborum, cum diverſiſſima ubique medela ſit.

Die 10 *Junii.*

Domina K** peperit die decima circa octavam partus naturalis, attamen laborioſius, ſecundinæ remanſerunt. Vocatus veni die ſequenti circa veſperam. Dolores infimi abdominis magni, parca lochia. Pulſus frequens valde & parvus, facies vix non cadaveroſa, anxietas, metusque eo, quod ſe certo morituram exiſtimaret. Blando alloquio, ſpe ſanitatis, & dato pulvere opiato animus erigebatur, dolores ceſſarunt, pulſus æque frequens, attamen liber & evolutus, non durus. Noctu ſomnus, attamen ob vagitus continuos prolis in eodem cubiculo remanentis, ſæpiſſime interruptus. Cataplasma emolliens, quod ſtatim poſt meum

ad-

adventum ad totum abdomen adplicari curavi, denuo repetii, uti & pulverem opiatum. Tumor, qui heri pugni magnitudinem æquabat, & partem dextram infimi abdominis primitus occupavit, in meo vero adventu ad partem ſiniſtram abdominis infimi deprehendebatur, duriuſculus & ad attactum doloriſicus fuit.

Die 11 *Junii.*

Mane denuo ad partem dextram ſe recepit, attamen minor fuit, quam pridie. Dolores, qui pridie magni, per noctem vero nulli fuerunt, hodie redierunt, ſed minores. Clysma heſternum ex ſpeciebus emollientibus & lacte paratum remanſit in corpore, & hodie non repetebatur. Dato opiato tumor evanuit cum doloribus, abdomen concidit, lochia copioſiora. Cum ægrota, uti & obſtetrix affirmarent, ſecundinas utero excluſas in ſola vagina hærere, juſſi, ut excipiantur. Attamen, cum manum obſtetricis ruſticanæ Domina timeret, ipſaque autem eandem excipere non poſſet, remanſerunt ibi ad veſperam usque. Tunc curavi clysma injici ex decocto altheæ, malvæ, florum chamom. āā. part. æquales cum melle, oleo & ſapone ad magnitudinem juglandis. Dato clysmate dum ſurgit,

levi conamine adhibito ſecundinæ exciderunt, die 12 noctu ſomnus bonus.

Die 13 *Junii.*

Mane bene ſe habuit, a meridie leviter tumebant mammæ. Noctu ſomnus bonus. Die proximo, ſcilicet 14 Junii, mane mammæ valde tumentes, dolorifica earum tenſio. Juſſi cataplasma emolliens adplicari. Dedi decoctum ſpecierum de althea, cui ad finem addantur flores ſambuci ad promovendam transſpirationem; item juſſi, ut ſubinde ſolum infuſum florum ſambuci ſumat. Sumat præterea omni mane drachmam magneſiæ nitri, præcipue ſi alvus non reſpondeat. Et poſt duodecimum a partu diem, ſi bene ſe habeat, nihil extraordinarii id prohibeat, ſumat infuſum foliorum ſennæ. Hoc die (14 Junii) mane diſceſſi.

In hoc caſu ſequentia obſervavi:

Primo: pleræque retentis ſecundinis moriuntur, ſed ob multiplicem rationem; nam, *primo*: peſſimus mos invaluit, ut vi extrahuntur, unde aut *profluvio ſanguinis*, aut orta diriſſima in utero vulnerato *inflammatione* & *ſubſequente gangræna* pereunt, aut *ſuppuratione moleſtiſſima* affliguntur, cujus exitus varius eſt. *Secundo*: ſi ſecundinæ etiam non extrahantur vi, attamen mulier-

liercularum consilio exhibentur medicamenta calida, inflammantia, orgastica &c. &c, Hinc *inflammatio* & *gangræna*. *Tertio*: si omnia ista omittantur, attamen continui dolores, spasmique eandem *inflammationem* caussabunt.

Secundo: Secundinæ retentæ *per se* adeo periculosæ non sunt. Nam si nulli aut exigui dolores adsint, soli naturæ res committenda est, donec separatio secundinarum fiat, quæ citius, seriusque pro dispositionum varietate peragitur, eodem plane modo, prouti pomum unum altero citius maturescit, suumque pedunculum a ramo sustentante separat. Ante tempus enim pedunculus non nisi difficulter a ramo separatur. Optimum tunc medicamentum est patienter & absque animi perturbatione naturæ opus exspectare.

Tertio: Si dolores posteri graves, lochia nulla, aut valde exigua adsint, omnium præstantissimum est *opium tempestive exhibitum*, *cataplasmata* & *clysmata mere emollientia*. Sic spasmis sopitis inflammatio *præcavetur*, vasa crispata relaxantur, & lochia redeunt, abeuntibus secundinis. Equidem opium in *actuali inflammatione* non videtur convenire; at si advertamus, non

ſtatim adeſſe inflammationem, ſpasmosque antea procedere, quibus ſopiendis opium præprimis dicatum eſt. Item, ſi conſideremus ſpaſticas contractiones vaſorum uteri & retentorum lochiorum & ſubſequæ inflammationis cauſam eſſe, facile patebit, opium in *ipſa inflammatione* etiam exhiberi opportere, quam vaſis relaxatis, & ſolutis ſpasmis aut tolles ex integro, aut ipſius ſaltem cauſæ augmentum; utpote cauſſa ſublata, præcavebitur. Notandum tamen, *emollientia* omni modo adhibenda ſimul eſſe, & *methodum antiphlogiſticum cum opio* jungi ſemper debere.

Quarto: Medicus ratione, auctoritate & quocunque demum modo huic pravæ & tot matribus letali praxi, extrahendi ſcilicet per vim ſecundinas, ſeſe opponat, exiguo enim tempore & vidi, & audivi gravia inde infortunia.

Quinto: Quid agendum, ſi adhibitis hisce ſecundinæ tamen non abeant? An non ſaltem tunc ad ſic dicta *pellentia, ariſtolochica*, mulierculis omnibus & chirurgis, & non paucis etiam medicis uſitata, in diſpenſatoriis & quibusdam libris deprædicata confugiendum? Reſpondeo non. Ex tali enim remedio probabiliſſime mors

aut

aut graviſſimus alius morbus, tardaque ſanitas ſequitur. Ex relictis autem ſecundinis morbus chronicus longe minus gravis & fere ſemper curabilis oritur. Quid, quum ſecundinæ ſæpe poſt unam primam alteramve ſeptimanam ex integro abeant, ſæpe poſt menſes, imo annos & per partes ſolvantur.

Sexto. Tenſis a lacte congeſto mammis cataplasma emolliens, ***pulmentum tale,*** quale alias pueris ſolent exhiberi, per modum cataplasmatis adplicatum easdem emollit, & *ſemper* effectum brevi tempore exoptatum ſenſi, lacte ſponte profluente ex mammis.

Vidi hanc Dominam die 4 Julij ſanam ſed debilem; pedes & hypopia tument; modice ſitit, laſſa eſt. Dedi roborantia ſequentia.

℞. Extract. gentianæ rubr.
— — mart. pomati
Myrrhæ electæ āā ℥β,
Balſam. peruv. q. ſ.

M. f. pilul. gr. jV. Ter per diem quatuor pilulas ſumat.

Brevis deſcriptio anni 1774 *usque ad initium Julii.*

Conſtitutio epidemica anni 1774.

Annus 1774 incepit cum magno & intenſo frigore, quod menſe Januario inſigne erat. Morbi prioris æſtatis & autumni diſparuere ad finem. Menſis hujus, ſequentique Februario, qui paulo mitior fuit, & ſecundum rationem temporis ſe habuit, hinc inde peripneumoniæ, ſed raro; raræ inſuper pleuritides.

Martio menſe & Aprili, ſecundum conſuetam horum temporum conſtitutionem ſe habentibus, tepidis ſatisque ſiccis, majus ſucceſſit usque ad decimum ſextum ejusdem menſis diem, æſtuoſus admodum fervensque ſupra quam pro conſueta hujus temporis ratione. Febres putridæ, peripneumoniæ & pleuritides cum collecta copioſa bile hinc inde caput effere ceperunt. Attamen & inflammatio & bilis nec multum periculi attulerunt, nec diu affligebant. A decima ſexta fere ad finem usque Maij frigus & pluviæ; inflammationum & febrium bilioſarum nihil amplius. Circa finem Maij & toto Menſe Junio calor & ſiccitas, utrumque forte magis quam pro anni tempore; fruges bonæ, citius ſolito maturæ: horæi copioſi, maturi. Intermit-

mittentes vix aliquæ. Circa medium Junij ad finem usquo frequentes paroxysmi hypochondriaci. Ceterum a Januario hucusque tempus secundum consuetum naturæ cursum se habuit, morbi paucissimi, & sporadici solum.

Die 1. *Julij*.

Hodie quidam 36 aut 38 annorum vir remedium petiit, de sequentibus conquestus.

Ante tres septimanas venam in brachio sinistro secuit, ob dolorem aliquem sæpius recurrentem, attamen absque tumore, absque rubore, vagumque ejusdem brachii. Post venæ sectionem dolor auctus, & totum modo corpus invadit, ita, ut nullibi finis maneat, sed intra pauca minuta omnes corporis partes oberret, modo punctorio; spasticas oris, digitorumque contractiones frequenter patitur, item vertiginem, sensuumque confusionem, ac si apoplexia instaret. Terrores, metusque ob res etiam exigui momenti. Melancholicum se valde dixit & exiguam rem sibi cordi sumere indeque infaustas sequelas deducere consuesse. Bene & quiete dormit, Bene apetit, bene digerit, colica non laborat unquam, nec ventriculi incommodis ullis. Mane melius, pejus a prandio se habet,

frigido tempore & pluvioſo bene ipſi eſt per omnia. Pejus poſt uſum ſpirituoſorum. Homo corpulentus.

Uſum thermarum, quas adhibere voluit, diſſuaſi, uti etiam venæ ſectionem & uſum purgantium. Vitet æſtum ſolis, quantum fieri poteſt, utatur diæta vegetabili, mane & veſperi ſumat ʒβ aut etiam ʒj ſequentis.

℞. Cremoris tartari ℥j
Nitri depurati ʒij.
M. D. uſui in ſcat.

Utatur balneo frigido frequenter per æſtatem.

Nota. Nunquam ullo ventriculi aut hæmorrhoidum incommodo laboravit. Eſt ergo *morbus hypochondriacus nervoſus*, conſiſtens ſcilicet in *nimia partium irritabilitate*, & *nimia humorum rareſcibilitate.* Infarctus vaſorum abdominalium, aut impeditus ſanguinis per vaſa abdominis circulus hic locum non habent, cum nulla ſigna id indicantia adpareant. Sequentia ex his, aliisque deduci facile poſſunt.

1) Ferventibus, æſtuoſis temporibus frequentes fiunt paroxyſmi hypochondriaci. Excitantur itidem a cibis *actu* vel *potentia* calidioribus.

2) Morbus niger a *Tiſſoto* deſcriptus qui cum prima ſpecie morbi nigri ab *Hippocrate* deſcipti convenit, eſt infarctus vaſorum ſanguiferorum ventriculi præprimis, inteſtinorumque, eodem ſcilicet modo, quo crura gravidarum varicoſa fiunt, etiam vaſa ventriculi & inteſtinorum varicoſa fiunt. Inde hæmorrhoidum origines, incommoda ventriculi, colica, ſputum aut potius vomitus ſanguinis &c.

In *omni hominum genere* & a diverſis cauſis *hic morbus niger* oriri poteſt. Frequens eſt in pinguibus, ſendentariis. *Nota.* Non involuit *per ſe* affectionem illam animi *hypochondriacam dictam ſive melancholicam.*

3) Morbus *hypochondriacus nervoſus*, qui in nimia ſanguinis *rarescibilitate* conſiſtit, ex *natura ſua* peculiariter mentem afficit; eam diverſis, etiam oppoſitis, & celeriter mutatis, ſemperque vehementibus affectibus exagit. Maxima hilaritas, metus & terrores magni, ira velox, metus, apoplexia &c.

4) *Nimiam irritabilitatem* invenias etiam in hominibus venereis, iis præſertim qui pollutionibus fœdis dediti ſunt. Atque in hac partium *nimia irritabilitate* cum hypochondriacis nervoſis conveniunt. Sanguinem

pariter habent *nimis rarescibilem.* Attamen disconveniunt in eo, quod ſanguis ipſorum ſit *depauperatus* & *acer*; partes vero ſolidæ ſint *tabescentes.* Curatio eadem eſt uti hypochondriacorum nervoſorum, ſed difficilior.

5) Morbus alius hypochondriacus datur, qui etiam *per ſe & ex natura ſua mentem* afficit, at toto tamen cœlo diverſus eſt a priori. In hoc enim ſanguis craſſus, terreſtris, oleoſus, lentusque eſt; ſubinde lentor hic ſanguinis viſcera abdominalia præcipue occupat. Hunc morbum *Bœrhaavius* deſcripſit, videturque eſſe *atrabiliarius veterum*, qui tandem in maniam deſinit.

6) Omnes hi morbi inter ſe valde diſtincti ſunt, licet variis modis inter ſeſe poſſint complicari.

7) Morbus hypochondriacus *atrabilarius* nunquam commiſcetur cum nervoſo. Ibi enim eſt ſanguis lentus; vis ſolidorum minus irritabilis. Scimus enim quantum inediæ, laborum, frigoris homo atrabilarius aut maniacus ferre poſſit: ſcimus pertinaciſſimam animi conſtantiam, ſcimus ideas ipſorum fixas, & alte radicatas. Omnia autem contraria ſunt in hypochondriaco nervoſo.

8)

8) *Morbus hypochondriacus nervoſus cum morbo nigro* complicari poteſt & *ſæpe* complicatur.

9) *Morbus niger Tiſſoti* poteſt complicari cum *morbo atrabilario*, licet *ſæpius* complicetur *cum nervoſo*.

10) Conſiderari adhuc debet *diſpoſitio ſanguinis phlogiſtica prædominans* quæ ſæpiſſime ſymptomata nervoſa exhibent, at neutiquam jungitur prioribus morbis. Homines robuſti, laborioſi, diæta vinoſa & carnea utentes, hoc ſæpe laborant

---

Quæ cauſſæ morborum bilioſorum, anne revera bilis putrida? ad quæſtionem hanc decidendam nota.

1) Sunt, qui per annos multos ictero laborant, item bilioſa hepatis duritie, item oris amarore, ructibus amaris absque febre intermittente, aut remittente, aut putrida.

2) Bilis brevi putreſcit, attamen nihilominus, qui bilem viridiſſimam aut ſponte aut dato vomitorio evomuit, de aciditate ſumma, auſtera, fauces rodente queruntur. Lintea hac materiæ infecta & ſiccata etiam ultra ſeptimanam acidiſſimum odorem ſpirant. Excrementa acidiſſima. Putrida bilis

cum

cum farinaceis, aut vinosis mista fermenta ex observatione *Pringliana*, & austerum acidum producit. Hinc *putredo* accusari non potest.

3) Patet hinc, quare Stahliani *absorbentia* dederint, & unde nata opinio *bilis acidæ*.

4) Post evacuantia in morbis *biliosis* juvant *roborantia*, *adstringentia*.

5) Alcalinitas & putredo juxta pulchras *Pringlii* observationes sunt *diversa*.

6) Nam *alcalina* tam *fixa* quam *volatilia* homines contagio putrido non afflant, uti partes *putridæ*. *Odor*, *Sapor*, & *experimenta* sunt alia in *putredine*, alia in alcalinitate.

7) Hinc tamen nullatenus sequitur, alcalina in morbis putridis esse danda, etsi *Pringlius* illa æstimat esse *antiseptica*; ratio autem est, quia nimium stimulant, hinc sanguinem dissolutum attenuant &c. Secundo salia omnia difficulter subjunguntur a natura sua. Tertio, quia proprie non *roborant*, nec *adstringunt*, sed forte *improprie* solum antiseptica dicuntur, quatenus carni putridæ affricta humorem in se trahunt, & fibras reddunt *regidiores* & duriores. Sicut caro salita, etsi dura sit, nihilominus tamen revera putrida sit, & ad putredinem disponit.

8)

8) Acida putredini fortiter resistunt, & si fossilia sint, simul roborant.

9) In morbis autumnalibus, putridis, biliosis præprimis, est tonus viserum *relaxatus, excretiones & secretiones* segnes, hinc degenerant humores, multique, alias excernendi, remanent. Cumque diæta conveniens sæpe non observatur, multa in primis viis colliguntur *tanquam* in vase inerti; hinc illa *colluvies*, quæ dato vomitorio ejicitur tunc temporis, caloris & saporis varii pro ratione assumptorum.

10) Præservatio a morbis putridis consistit in diæta *stricta*, *antiseptica*, & *roborante*; *Kramer* id pulchre observavit in sua medicina castrensi. Ideo græcos rescimus esse vegetos, longævos, quia simplici & àdstricta diæta utuntur, item frequentibus balneis frigidis. Idem etiam observavit, omnis generis homines sive vino, sive aqua utentes his morbis corripi solere in Hungaria.

11) Patet, quam male *plerumque* vena, præcipue si crebius fiat, in morbis putridis secetur, quam male plerumque præmissis solventibus emetocatartica omittantur, sed etiam quam male dentur plerumque valde calida, & stimulantiora. Quam bene præmissis emeto-catharticis cortex peruvianus,

alia-

aliaque antiſeptica, & absque nimio ſtimulo, roborantia præſcibantur.

12) Patet denuo, rariſſime ſufficere roborantia antiſeptica absque emeto-catharſi.

13) Debilitas illa ſubitanea eſt *fictitia*, non a nimio ſanguine, ejusque præpedito motu orta, qualis quidem *debilitas fictitia* etiam datur ſubinde, ſed ab alia *fictitia*, quæ in *tono vaſorum relaxato*, *ſanguine diſſoluto*, *colluvie pravorum humorum* vim vitæ ſuffocantis provenit. Ibi venæ ſectio, hic emeto-catharſis, quæque roborant, ſecretoriaque organa invigorata officii blande admonent &c.

14) Attamen licet ægri de acidiſſimo ſapore conquerantur ſæpiſſime, dum colluviem biliofam egerunt vomitu, tamen ad *morbos putridos* pertinebant *febres hæ biliofæ*. Bilis enim copioſe collecta & putrida in primis viis hærens tonum viſcerum relaxat. Superingeſta acida & farinacea fermentant cum *ſaburra putrida*, *& pinqui*, *ſive biliofa*, eamque hac ratione immutant. Quodſi ſtrictior diæta accedit, ſaburraque non ſit nimium copioſa, contingit, ut bilis hæc acidis immutata ſenſim ſubigatur, egeratur viis ordinariis, atque ſic ſola natura ſibi relicta morbum curet. At vero, ſi copio-

piosam saburram, utut per acida immutatam, ventriculus subigere non possit, morbus biliosus erumpit, cholera scilicet, aut febris intermittens, aut remittens, aut continua, aut dysenteria &c. &c. &c., varius scilicet pro varia dispositione corporis; ex eodem tunc origine natus, & eadem tractandus methodo.

15) Patet, morbos hos solventibus acidis, dein emetocatharsi, demum roborantibus debellari debere.

Die 16 *Junii.*

Dominus S*** semper alias sanus fuit. Cœlebs est, & per aliquot annos spanum agit. Per sex annos os semper amarum habuit, ceterum bene valuit, pinguiculo corpore & appetitu vegeto semper fuit. Circa 15 Maji 1774 ingenti dolore capitis affligebatur, sumpto purgante quinquies vomuit, & sæpius dejecit, inde omnis capitis dolor evanuit. Facta dein venæ sectio est, dataque per septimanam medicamenta sunt, quibus purgabatur quotidie ita, ut intra unam septimanam circiter centies dejecerit. Languebat appetitus, viresque. Die 16 vocatus ægrum deprehendi appetitu prostrato,

pal-

pallidum, modiceque flavum. Pulſus valde celer, attamen mollis. Continuo decumbit, etſi nullos dolores queratur, viribusque gaudeat ad leviores commotiones ſufficientibus. Triſtem, puſillanimemque inveni. Sæpe bene dormit noctu, at nonnunquam integras noctes inſomnes agit, quin de aliquo tamen dolore, aut incommodo conqueri poſſit. Homo anxius, cogitabundus. Hypochondria non dolent, nec tument.

Aegrotantem ſpe ſanitatis certæ recuperandæ conſolatus dedi ſequentia:

℞. Gummi ammoniac. ℥ß.
Extract. fumariae.
— — abſynth. āā. ʒij.
Terræ fol. tartari.
Myrrh. elect. āā. ʒj.
Elix. propriet. q. ſ.

M. f. pilul. gr. iv. ſumat ter de die pilulas quatuor cum vaſculo ſequentis

℞. Rad. cichor. ℥iij.
Herb. fumar. m. iij.
— — chamædr. m. j.

C. C. D. in part. iij. Singulam coque cum ℔. iij. ſeri lactis. Colaturam fortiter exprime.

No-

Nota 1) Morbus hypochondriacus varios morbos mentitur, cum tamen unus, idemque ſit.

2) Diverſitas hæc adparens a diverſitate cauſſarum, prædiſpoſitionum, effectuum ab ipſo morbo productorum &c. &c. ſexu provenit.

3) Si *auctam nervorum, muſculorumque vim irritabilitatis*, nimiamque ſimul maſſæ humorum *rareſcibilitatem* cogitem, plenam habeo ideam morbi hypochondriaci.

4) Malum hyſtericum fœminarum idem omnino morbus, eademque ipſius cauſſæ ſunt.

5) Circulatio in vaſis abdominalibus præpedita non ingreditur ideam mali hypochondriaci, licet hi morbi, *malum* ſcilicet *hypochondriacum* & *circulus impeditus in abdomine* ſæpe ejusdem matris diverſæ filiæ ſunt, quatenus uterqae morbus a vita ſedentaria originem trahit.

6) Hæmorrhoides pariter ad malum hypochondriacum non pertinent, licet non raro jungatur ſimul uterque morbus.

7) Tumores hypochondriorum, indurationes bilioſæ in ſyſtemate bilioſo etiam non pertinent ad morbum hypochondriacum. Vidi enim plurimos poſt intermitten-

tes diuturnas & pertinaces male affecto bilis ſyſtemate, indurationibus hepatis lienis laborantes absque malo hypochondriaco.

8) Diſpoſitio phlogiſtica in plurimis, præcipue ruſticis, laborioſisque hominibus absque morbo hypochondriaco.

9) Cura ſæpe diverſa eſt ob adjunctas diverſas prædispoſitiones.

10) Cura principalis conſiſtit in *minuenda irritabilitate* & *maſſa humorum firmanda, compingendaque.*

11) *Irritabilitas nervorum* augetur continuo eorundem exercitio: *ſtudia, affectiones animi crebræ, vehementes, otium, menſa lauta, aromatica* &c. &c. nervos reddunt *nimium irritabiles.*

Eædem res humores faciunt minus compactos, maſſulas ſanguinis minus ſolidas, & præprimis *rareſcibiles nimium*, diæta carnea, vinoſa, humores reddit *acres;* etſi *hæc acrimonia* ſæpe adſit, non tamen ad ideam morbi pertinet.

Firmant nervos, eosque nimia privant irritabilitate, *omiſſo eorundem nimio exercitio*, vita dura, laborioſa & exercitatione corporis; eadem valent etiam ad minuendos, compingendosque humores. Quem in finem diæta lactea, farinacea, ex farinaceis,

præ-

præcipue fermentatis, aquosa. Hordeum, avena, oryza cibos & *faciles* & *mites*, ac *plasticos* præbent.

12) Patet male dari *nervina* sic dicta ex familia stimulantium.

13) Male itidem præscribuntur *per se* saponacea, solventia, cichoracea, resinoso-gummosa &c., nisi junctæ simul sint *obstructiones certæ*. Sed inepte sane in quavis fere hypochondriaca affectione *latentes obstructiones* quæruntur.

14) Male dantur *per se* succi herbarum *antiscorbuticarum*, acrium, scilicet incidentium.

15) Male exhibetur *per se serum lactis*.

16) Dari tamen sæpe hæc, aliaque præmitti, aut conjungi cum aliis debent, ob adjunctas affectiones, quibus prius non sublatis omnis reliqua medicatio inanis est.

17) In corpore pleno, succulento, quale habet Dominus de M**, de Bet. & Schm., item Parochus in K., corpus una alterave moderata venæ sectione deplendum, tenuiori diæta corpus ad moderatum habitum est redigendum; demum corporis exercitio, exiguis, sed diu continuatis corticis peruviani dosibus, diæta ex lacte, fa-

rinaceis & vegetabilibus composita &c. ipsa morbi idea eradicanda.

Si sit dispositio sicca, biliosumque temperamentum, quale habet Parochus in S***, incipiendum ab *humectantibus*, *hydrogala*, ipsum demum lac, farinacea, fermentata præprimis, cum vegetabilibus recentibus & exercitatione corporis omnem sæpe paginam absolvunt. Hi corticem minus ferunt ob strictum corporis habitum.

18) Priores balneis frigidis insigniter juvantur præmissis præmittendis. Posteriores vero eadem minus bene ferunt.

19) Nil frequentius reperitur apud utriusque classis hypochondriacos, quam usus venæ sectionis nimius, qui certe nocet, cum massam humorum brevi post reddat auctiorem, rarescibiliorem; nervos autem magis irritabiles & imbecilles.

20) Si morbus hypochondriacus oriatur a nimiis sanguinis evacuationibus, morboque acuto gravi prægresso, sicut mihi contigit; *nutrientia*, *juscula*, *lac*, *cortex* *ferrum*, *motusque corporis* omnem absolvunt curationem.

21) Patet *primo*: quare in morbo hysterico lac & cortex, item ferrum prosit.

Se-

Secundo: Quare morbus idem in fœminis rarius venæ ſectionem admittat. Subinde tamen eadem fuerit neceſſaria.

Tertio: Quare urbanæ ruſticis magis huic morbo obnoxiæ ſint, & delicatæ magis, quam laborioſam & duram vitam ducentes.

Quarto: Quare viri *litterati*, item in officiis conſtituti ſedentariis, artibus ſedentariis addicti, præcipue hoc morbo afficiantur. Quare nunquam in ruſticis, in quibus ſæpe *lentor inflammatorius*, morbos producit inflammatorios.

22) Vidi officiales militares, qui in officio ſuo conſtituti bene per omnia valuerunt; at impetrata penſione, aut ex comparatis divitiis laute viventes, facti ſunt morbidi & hypochondriaci.

23) Hypochondriacorum inconſtantia curationem multum impedit. Omnes audiunt, omnia adhibent. Vidi, qui auxilium unicum in ſæpius repetitis purgantibus quæſiverunt, ob ſpasmum & colicam, qua frequenter vexabuntur. Alias vidi complures, qui frequentiſſimas venæ ſectiones adhibuerunt, peſſime utique, cum ſanguis *copioſior*, & *laxior* magis magisque evaſerit. Multum

medicus profecit, si lucratus est eorum constantem confidentiam.

24) Vidi multos continua dispositione phlogistica sanguinis laborantes, qui de nervorum varia affectione quærebantur, attamen in eo non convenere cum hypochondriacis, quod hi ultimi sæpe non opinantes paroxysmo hypochondriaco invadantur, rarissime bene se valere afferant, meticulosi, querulique sint, apoplexiam præprimis metuant, *raro, aut fere nunquam* morbis vere inflammatoriis invadantur; cum priores sæpe pancreatice valeant, temporibus illis, quibus morbi inflammatorii regnant, morbis vere inflammatoriis, pleuritide, peripneumonia &c, aut corripiantur, aut horum saltem morborum brevi futurorum signa habeant indubitata. Venæ sectio, diæta excarnis, hos statim restituit. Plethoræ continua signa adsunt indubitata. Vitam laboriosam, excercitatam, diætam vinosam, carnosamque habent. Cum incipiunt pinguescere, brevi futurum morbum præsciunt.

Inflammatoriam dispositionem habet M***, F***, Parochus.

25) Curatio diversissima in dispositione inflammatoria, quam in hypochondriaca. Lac his ultimis prodest, cum sanguinem

red-

reddat magis *compactum*, & *irritabilitatem* minuat. Conſtat, alpicolas in Helvetia lacte viventes robuſtiſſimo valere corpore, imprimisque ventriculo, ita, ut etiam a 24 granis tartari emetici mediocriter tantum vomant. Idem verum eſt, de Græcis verſus Wallachiam & Poloniam habitantibus, qui & pulcherrimo & robuſtiſſimo corpore gaudent.

26) Vidi in Parocho S*** ſequentia: colica vix non omni mane affligitur, ſpirituoſis exacerbatur, aſſumpto jentaculo melius ſe habet. Poſt applicationem hirudinum aut ſilet aliquo tempore, aut mitior eſt. Appetitus vegetus, comedit multum, & nihil inde gravatur. Alvus ſtricta, quæ, ſi magis reddatur lubrica, colicam facile ad aliquot dies ſedat. Sero lactis multum juvatur, præcipue ſi tres, quatuorve ſedes inde habeat, id quod fere ſemper ei accidit, quoties ſerum lactis aſſumit. A purgationibus fortioribus male ſe habet. Subinde adſunt tubercula hæmorrhoidalia.

Deſcriptio hæmorrhoidum anomalarum a *Cel. Alberti* data optime & adcurate convenit cum hiſtoria ſymptomatum in hoc parocho, ſi excipias duo, ſcilicet: quod parochus nullo modo gravetur a paſtu, ſecundo;

quod cum magno appetitu & multum comedat, imo quod vacuo ventriculo pejus se habeat.

Eadem omnia ſymptomata, ventriculum præcipue, ejus compreſſiones, contorſiones, ructus flatus &c. deprehendi in Franciſcano hypochondriaco, qui mane jejunus præprimis, item veſperi his incommodis infeſtabatur. At aſſumpto *largo* & *ſolido* jentaculo, item cœna ſolida ſymptomata hæc omnia ſilent. Etiam hoc hac in parte non convenit cum deſcriptione *Cl. Alberti*, ſed quæ ratio phœnomeni?

Deſcriptionem dictam a *Cl. Alberti* factam vide in epiſtola ad Zimmermannum a Tiſſoto data, editione Balding. fol. 36. & 34.

27) Morbus hypochondriacus nervoſus proprie *nervos* afficit, tam qui ad *ſenſus externos*, quam qui ad *internos*, etiam qui ad *motum* faciunt; illa diſpoſitio, quæ obtinet in homine triſtitia affecto, in fibris cerebri facilitatur, ut hæ cerebri fibrillæ eam facillime induant, conſerventque.

Ille motus nervorum, qui obtinet in homine, quem terror repente invaſit, in hypochondriaco oritur a cauſſa alias inſueta, & quaſi forte. Cum in aliis hominibus ner-

nervos ſatis indifferentes deprehendamus ad quamcunque pro quaque cauſſa aptam diſpoſitionem recipiendam, in melancholico tolletur hæc nervorum indifferentia, iique fere ſemper ita afficiuntur ſua quaſi ſponte, uti ſolent affici, ſi cauſſa adeſſet, timorem, metum, puſillanimitatem creare nata.

28) Morbus hic proprie afficit illam corporis partem, quæ cum anima noſtra proxime connexa eſt, quave anima utitur ad operationes ſuas peragendas, & quæ pars ſedem animæ afficit, quæve nervorum omnium origo eſt. Apte *Sydenhamus* hic hominem internum & quaſi ſpiritualem conſiderat.

Vir 25 annorum ſemper ſanus fuit, robuſtusque. Ante duos annos duxit uxorem. Modo queritur de dolore in puncto quodam fixo dorſi ad initium oſſis ſacri, præcipue ſi diu ſedeat. Dolor punctum exiguum occupat, & eſt ſcindens. Dolent muſculi exteriores femoris; genua fracta, vertigo continua, palpitatio cordis; pulſus naturali celerior; ſubinde tuſſicula, & mane ardor in pectore. Flatus, borborygmi; alvus inconſtans, modo laxa, modo nimium adſtricta. Macies & pallor ex flavo vireſcens faciei. Noctu ſudat, bene dormit, appetit.

 Hæc

Hæc jam ab anno. Suasi, ut lacte caprino utatur, aqua item ferrea, motu corporis moderato & balneis frigidis. Abstineat a venere per aliquod tempus, cujus nimius primo matrimonii sui anno usus *tabem dorsalem*, *saltem ejus initium* caussavit. Si hac ratione non proficiat, corticem adhibere debebit una cum prioribus.

Nota. Vino & spirituosis non utitur, ter quaterque per diem fumum tabacæ sugit. Uxor viri paulo ante descripti sexto graviditatis mense venam secuit, post tres autem septimanas a venæ sectione abortum est passa. Post tres ab abortu septimanas denuo gravida facta est, & feliciter peperit. Ultra annum queritur de dolore capitis, & vertigine, de dolore in regione hepatis, ventriculi. Tempore doloris simul ad costas spurias dextras versus ventriculum usque tumor durus adparet, qui disparente dolore ibi loci pariter disparet. Palpitatio cordis. Hæc ultra annum modo eadem gravius & frequentius invadunt, cum dolore intra scapulas. Pallida est, appetit, dormit. Malum a lactatione (a medio enim anno prolem suam lactat) item a nimia venere ortum, petit ablactationem, & roborantia nervina. Decoctum specierum altheæ

fer-

fernel. ad ℔ij cum æquali quantitate lactis recentis bibat. Paroxysmos ſopiat pilulis ſequentibus:

℞. Maſſæ pilul. de ſtyrac.
Caſtorei aa ʒβ.
Eſſent. caſtorei q. ſ.

F. pil. gr. iij. Tres ſumat pro doſi. Cura radicalis corticem petit.

Quædam peculiariter notanda, minus tamen, quam opportet, a medicis obſervata in praxi.

1) Diſcrimen inter *veram* & *fictitiam* debilitatem non ſemper obſervatur, hinc in praxi frequenter contingit, ut medicus venam non ſecat, ubi eſſet ſecanda, & male ad veſicatoria recurrat. Male petitur excuſatio, negligitur venæ ſectio ob debilitatem. Signa utriusque debilitatis diagnoſtica, quæ ſint?

Animadverſiones varii argumenti.

2) Abſurdus jusculorum uſus in reconvaleſcentibus eſt, debilitatem veram fovet. Dominam M*** curare penitus a virium debilitate non potui, donec interdixerim uſum jusculorum. Habuit febrem tertianam autumnalem, tarde ob dictam cauſſam reconvaluit, etſi a febre libera dudum fuerit.

3)

3) Nimis parum ad anni tempora mutationesque inde oriri ſolitas attenditur, hinc noſtri medici æque liberales ſunt in venæ ſectionibus æſtate & autumno, quam hyeme & vere. Rariores phlogoſes æſtate & autumno, e contrario vero morbi putridi frequentiores.

4) Nimius menſium fluxus ſæpiſſime, aut fere ſemper a corporis laxitate provenit. Male ergo de plethora concludunt medici, & male venæ ſectiones celebrant.

5) Via ſternitur ad immedicabiles morbos chronicos, ſi in morbis febrilibus fere omnibus venæ ſectio toties repetatur. In pleuritide, itemque in apoplexia hunc errorem frequenter committi obſervavi. Male inſuper in pleuritide inflammatoria ſtibium diaphoreticum non ablutum, kermesque datur. Cum hæc remedia potius in peripneumonia *notha* valeant, in eo etiam caſu prodeſſe poſſunt, ubi fractis viribus, tum ob nimias evacuationes langueant, ſputaque ob vim vitæ fractam reſtitent.

6) Quinam ſudores colliquativi, quænam diarrhæa colliquativa equitatione curatur, quænam exaſperatur. Quomodo intelligi *Sydenhamus* debet.

7)

7) Vidi homines poſt graves morbos acutos diu debiles, pulſuque *celeri*; falſo putabatur adeſſe febriles reliquias, per errorem ſecta vena eſt denuo ad proſcindendam, ut ajunt, recidivam. Omnis kenangeia pulſum debilem, *ſimulque celerem* facit. Celerior humorum circuitus eorundem quantitatem imminutam ſupplet. Requiruntur nutrientia, roborantia.

8) Male præſcribunt noſtri ſuis reconvaleſcentibus, aliisque debilibus, juscula ex pedibus vitulinis, cancris, teſtudinibus parata, item gelatinas.

9) Peculiari ſermone utuntur nonnunquam ſcriptores medici ad *Boerhaavii* usque tempora. Noſcenda prædominans philoſophia ſingulorum ſæculorum, ut eorum libri intelligantur. Aliud antiquis fuit *bilis*, quam nobis. *Febris eryſipelatoſa* aliud pariter iis, quam nobis. Aliud ſæpe *febris inflammatoria*; a ſenſu frigoris & caloris, harumque qualitatum alternatione ac periodo *febrilium morborum* nomina deſumſerunt, etſi morborum ſub eodem nomine comprehenſorum diverſiſſima ſæpe indoles fuerit, cauſſa, aut curandi methodus. Afferre exempla poſſum ex *meis excerptis*.

10)

10) Idea acrimoniæ plerumque indeterminatum & vagum quid continet.

11) Ulcera tibiarum, omnesque abscessus caute curari debent, si ii diu duraverint, scilicet per fonticulos, purgantia per epicrasin danda, diuretica. Hydrops pectoris inde frequens, aut alia prava depositio. Dom. chirurgus R. apostema ad abdomen habuit, apertum est, fluxit copiosum pus. Consanatum est. Paulo post vertigo, dolor capitis, apoplexia. In cerebro pus copiosum inventum. Scilicet natura perseveravit pus facere, quod evacuari nequiens ad caput depositum est.

12) Abusus oleosorum in infantibus acido laborantibus. Oleum cum acido pessimam acrimoniæ speciem componit, ventriculum ejicit. Datur solummodo cum aqua laxativum viennense, adhibito simul clysmate, ubi convulsio ab acido oritur.

13) Scirrhus proprie solummodo is tumor vocari meretur, qui in glandula reperitur, post inflammationem non resolutum, durus & indolens est. *Scrophulæ & cancer scrophulosus* probe a vero scirrho distingui debent. *Scrophulas & cancrum scrophulosum* cicuta sæpe curat, dubito, an scirrhum. Neglectum hoc inter *scirrhum* & *scrophu-*

lum

lum difcrimen, interque *verum cancrum* & *fcrophulam,* in utramque partem de cicuta fuit difputatum.

14) Abufus emulforum in morbis malignis. Abufus olei & oleoforum in omnibus febribus acutis.

15) Pleræque febres exanthematicæ a fabutra & crudo humorum apparatu non fatis tempeftive educto proficifcuntur. Male metuitur lene emeticum ab Haenianis, male tamen promifcue præfcribitur ab *Haenii* adverfariis. Inflammotoriis nunquam emeticum valet. In biliofis femper, fed præmiffo folvente. In malignis fæpiffime. *Notandum tamen probe*

16) Regulæ graves hæ funt:

Primo in inflammatoriis febribus diæta fit excarnis, tenuiffima, aquofa.

Secundo in morbis putridis biliofis poft excuffam faburram minus tenuis, leniter reftaurans.

Tertio in *malignis* fit roborans, reftaurans, antifeptica, & univerfim minus tenuis.

Quarto in mefentericis, lentis nervofis, miliari, fcarlatina, purgatis primis viis fit morbo conveniens, roborans, mi-

nus

nus tenuis. Univerſim *victus ſequatur indolem medicamentorum.*

Alia regula æque gravis eſt hæc, ſcilicet *victus ægrotantis quam proxime accedat ad diætam illam*, qua in ſanitate uſus eſt. Nam inſueta victus ratio æque offendit, ac ipſe morbus.

17) Sanguis venæ ſectione eductus parum docet. Cruſta phlogiſtica indicationem ſubminiſtrat. Attamen diſſolutio minor, aut etiam major ejusdem cohæſio in patella, inſecuram præbet indicationem.

18) Adſtringentia in ſanguinis ſputo præſcribi ſolita certo damnanda ſunt, vide ſcripta mea pathologica *de phthiſi*, item *additamenta* de pthiſi. Nocet cortex, balſamica. De curanda pthiſi vide *multos & paſſim committi ſolitos errores* in ſcriptis meis pathologicis refutatos. Quando cortex dandus in ſuppurratione interna.

19) Idioma ægrotantium morbos ſuos enarrantium diverſum eſt longe ab idiomate medico. Hinc opus, ut juvenis medicus perceptam theoriam diſcat *ægrotantibus adplicare*, eorumque idiomati ſtudeat.

20) Catalogus morborum *frequentiſſime*, *frequentius*, *frequenterque* occurrentium, medicum ſcire opportet.

21)

21) Anatomiam & Physiologiam idem doceat. Theoriam pathologiæ, itemque *praxin clinicam* cum materia medica denuo idem doceat.

22) Medicus scire debet non tantum *veras indicationes* elicere & *indicata* invenire, sed etiam indicatorum *vim potestatemque*, dosin requisitam, ut debita *quantitate*, debito *tempore modoque* remedia adplicentur. Vidi doses *nimis exiguas*, inefficacesque frequentissime dari.

23) Morbi dum in sui exordio adhuc sunt, atque primum formari incipiunt, antequam suis sese signis sufficienter notata sint, difficillime dignoscuntur, etsi hæc *morborum fientium* cognitio summe sit necessaria. Sedula attentio ad leviora quædam incommoda, eorumque eventum faciet, ut medicus habitum contrahat ex primis, levissimisque motibus morbum minantem, latentemque prænoscendi, eique obviam eundi. Sic vidi plures fœminas sedentarias mense Decembris anni 1775, quæ conquestæ sunt de vertigine, capite dolente, obtuso, subinde solummodo de stupore quodam capitis. Omnes autem querebantur, sæpius & subito

 ascen-

aſcendentes ad caput dolores, cum repentino ſimul faciei rubore, & erumpentibus ſudoribus Nox omnibus inquieta. Quibusdam horripilationes vagæ. Os ſiccum, absque ſiti, ſubinde glutinoſum, lingua albescens. Quibusdam dolor lumborum, cardiæ, abdominis, artuum quaſi rhumaticus. Alvus tarda, difficilis, flatus copioſi. fœtidiſſimi ſurſum deorſumque erumpentes. Appetitus exiguus. Laſſitudo. Pulſus celerior, plenusque, ſed non durus. Secta vena ſanguis aut bonus, aut cum leviſſimo cruſtæ phlogiſticæ initio. Poſt venæ ſectionem rarius aſcendebant uno alterove die calores, meliusque habere ſe viæ ſunt. At paulo poſt eadem ſymptomata perſtitere. Profuit optimo frequens clysma emolliens prime datum, dein leniter ſtimulans, itemque pulpa tamarindorum, roob ſambuci, cum ſale polychreſto: & cremore tartari.

Nota. Eſt infarctus meſenterii crudusque inteſtimorum apparatus. Hoc in morbo *ὀρθοστάδην* ægri laborabant. Eſt initium febrium meſentericarum, lentarum, nervoſarum, miliarium. Obſervavi in omnibus præter pulſum celerem plenumque ***noctes inquietas,*** *pa-*

pavoresque inter dormiendum, interdiu vero meticulosum quid; animumque dejectum.

24) In morbo, præcipue epidemico, convenit statim abdomini providere, & mesenterium a saburra ibi sæpe existente, præcipue in morbis epidemicis, morbumque aut *producente*, aut *periculosum efficiente*, liberare. Id optime & tutissime clysmatibus frequentibus obtinetur, quæ, cujuscunque naturæ morbus sit, tuto adhiberi possunt. Purgantia autem lenia & eccoprotica subjungi debent *per plures dies*, nisi inflammatoria febris id prohibeat. Clysmata autem prædicta etiam in febribus inflammatoriis tuto adplicantur prædicto scopo. Hæc primis viis & præcipue intestinis providendi cautela, quasi loco arcani est, in curandis febribus quibuscunque, præcipue malignis, & quam maxime variolis.

25) *Monita*, quæ autor ex diligentia in se ipso partim, partim etiam aliis facta attentione collegit, scilicet.

Primo. Medicus sese proprio temperamento, statu valetudinis robustæ, aut adversæ, idiosyncrasia sua, aut iis, quæ sibi

 pecu-

peculiariter prodesse, aut obesse animadverterit, aut in quæ peculiari suo gustu fertur, nunquam decipi patiatur. Vidi, qui ipsimet robustissimi, ægros fere omnes nonnisi vi aggressi sunt, potiori utique, quam quæ a plerisque minus valentibus sustineri poterat. Venæ sectio magna, frequens. Vesicantia lata, copiosa, iteratis applicata vicibus, purgantia valida, ab hisce amantur. Vidi inquietos, tumultuantesque, qui omni medicamentorum validorum apparatu, eoque alio semper alioque ægrum sollicitarunt, nescientes, uti in suis aliis negotiis, prudenter quiescere, animo sedato ad virtutem medicamenti attendere, & occasiones circumspecte captare, obliti illius, sat cito, si sat bene; & . . . imitatores potius, quam Fabii cunctatoris, qui pavide cunctando romanam restituit rem, importuna . . . præcipitique agendi ratione perditam. Alii ipsimet debiles, delicati, irritabiles quodvis paulo valentius remedium, etsi quam maxime indicatum reformidant, aliorumque vires ex suis male metiuntur.

Secundo. Qui *peculiare medicamentum sibi adamatum præ reliquis* habet, præcipue, si de eodem plura experimenta captare, ejus-

ejusque usum vulgare satagerit, ne is sæpius ipse sibi imponet. Dum adplicandi remedii occasiones ubique videre sibi videbitur, fortunatos forte eventus, quos medicatrici naturæ & aliorum auxiliorum virtuti in acceptis referas, adamato remedio adscribet, sinistros vero in quidvis aliud obcoecatus detorquebit. Hæc fœcundissima est *specificorum, polychrestorum, panacæarum &c.* scaturigo; medicamenta hujusmodi in multiplices inventa usus eo citius pervulgabuntur, eoque avidius arripiuntur, quo pulchrius multorum socordiæ, ignorantiæ opitulantur. Quæso enim, quam difficilis, quam & plena tædio illa caussarum morbos producentium disquisitio est: quam recondita illarum natura! quam adcuratam anamnesin instituere, quam omnes rimari angulos persæpe oportet, donec aptam de morbo ideam inveneris. Belle igitur sibi multi consultum autumant, quod polychresto quodem, specifico, oppositis etiam usibus malo protheiformi, in partes, utrasque versatili medicamento instructi, molestissimo illo in pervestigando morbo labori supersedere possint. Quod si id quoque accesserit, ut hujusmodi remedium celebris viri nomine glorietur, omnes mundi partes celerrime pervadit: miseri mortales experi-

mentis objiciuntur. Medicamenti inventoris que encomia ubique locorum ſonant Donec funeſtis eventibus territi, diſcuſſo ſenſim œſtro reſipiscere incipiant, remediique celebrati vis intra arctos, quos ipſi natura circumſcripſit, cancellos denuo fuerit retropreſſa (reducta) ſed heu nimium plerumque ſero, poſtquam ſcilicet ἰφθίμας ψυχὰς ἀΐδι πρΐαψεν (multos tales homines præmature ad orcum præcipitavit. (*Homer*) Pauci execurrunt anni, qui novi cujusdam remedii male probati epidemia non funeſtatur. Satyram illi ſcribere videbor, qui ſyſtematum remediorumque hisce annis aut inventorum aut recoctorum hiſtoriam ignoraverit, qui nec audiverit, quanto cum ſtudio ſyſtemata quorundam ex toto pulſu hariolantium paucis abhinc annis hiſce in terris præprimis exceptum fuerit, quanto ardore, ſed quanto ſimul cum detrimento veræ ſemciotices, ægrorumque periculo in noſocomia introductum, ex cathedris laudatum, in collegiis etiam privatis cum inſigni & temporis & veræ ſcientiæ & pecuniarum jactura edoctum, licet experimenta quotidiana in noſocomio practico Cl. Hænii ſyſtematis novi vanitatem abunde demonſtrarint, atque ut alia taceam nobis tanquam ſpecifica vel invitis obtruſa remedia, qui-

bus

bus orbi illuſum aliquamdiu eſt. Quid vanius quæſo, illis multorum, atque inter his eorum etiam, quos limatiori judicio eſſe oportebat, de vi magnetis in morborum plurimorum curatione mirifica clamoribus? laudanda equidem eſt illorum induſtria, qui in medicamentorum virtutes diligentius inquirunt, ut veram eorum vim, ſub quibusque danda conditionibus ſint, adcurate determinant. Verum quid emolumenti pro re medica naſcitur, ſi remedium aliquod in lucem protrahatur, cujus necdum probatæ ſatis vires ſunt, & ſi ſint, ejusmodi tamen ſunt, ut pares ubique quin & ſuperiores habeantur. Id nempe fit, ut materies medica in molem excreſcat imanem, indigeſtamque, quæ medicum, ni ſagaciſſimus ſit, atque ſplendididis commendationibus factorum horumce diffidere noverit, enormiter confundat oportet, non inſtruat. Inventores ni, quos antiquæ crambis recoctores potius fas eſt, apellare, quid tandem magni ſibi videntur præſtare, ſi plantulam aliquam aromaticam in morbis a motu humorum lento, torpidoque fibrarum ſtatu oriundis & multiplici exempla prodeſſe docuerint, aut demonſtrarint, ſpiſſos humores acri hujus illiusve plantulæ ſucco variam in formam redigendo at-

tenuari in motumque dari? Num novum quid dixere, & ſi tamen novum, num antiquis illis, quorum immenſæ copiæ nos jam dudum pertæduit, utilius quid, efficacius, tutiusve? Inventorum horum examini ſuperſedeo. Id ſolum ajo, Hercule potius opus eſſe, qui Augiæ ſtabulum repurget, qui farraginem hanc propemodum infinitam, & circumforaneorum ejusmodi intempeſtive ſedulis conatibus auctam hucusque & in poſterum, ni artis genius caverit, augendam immane quantum diminuat, in ordinem redigat, non niſi numero pauca, ſed multiplici uſu comprobata, ſed ſimpliciſſima ſeligat.

3) Medicum fallit ſæpe medicamenti cujusdam prædilectio, quam forte inde habet, quod egregiam hujus medicamenti vim expertus pluries ſit. Hinc fit, ut prædilectione hac ſeductus ubique & ſæpe loco non ſuo idem adhibeat. Talem abuſum vidimus in cortice peruviano.

4) Studium illud peculiare, cui medicus præprimis ſeſe conſecravit, illum non ſemel ſeducit. Hinc vides illum non niſi *chemica* ſibi adamata habere; alium vero mere *ve-*

ge-

getabilia, prout vel chemiam, vel botanicam magis amat.

5) Eſt quædam quorundam conſuetudo, omnia ſcilicet in morbis obvenientia ex *legibus mechanicis* hucusque cognitis explicandi. Verum fallitur perſæpe medicus, cum nondum omnes mechanicæ leges nobis pateant, & in corpore animali plus ſit, quam merus mechanismus; nimius fors fuit *Boerhaavius* in hac re.

6) Utiliſſima utique eſt cadaverum ſectio, & in cauſſas morborum disquiſitio; at huic imprimis addictus medicus, dum omnia per anatomen explicare vult, ſæpe fallitur. Tædioſum nempe eſt illud *a poſteriori* deſumptum ratiocinium, illudque ex innumeris caſibus obſervatis, ſeduloque deſcriptis abſtractum judicium & canon. Præterea mens cauſſarum cognoſcendarum percupida, raro contenta eſt hoc a poſteriori deſumpto judicio; hinc cauſſis veris, ſed ignoratis, fictitias aut ex mechanica, aut ex anatome deſumptas ſubſtituit.

Medicum fallit ipſa epidemia præſens. Nam ad ægrotum vocatus morbo *intercur-*

 rente

rente laborantem, ſeſe facile decipere poteſt, dum morbi epidemici frequentia deceptus hunc pariter *epidemicum* eſſe putet.

8) Si medicus morbos quosdam *frequentius* curandos habeat, aut ſors domi ſuæ de certo quodam morbo recte nunc legat, legeritque, fieri facile poteſt, ut imperfecta quædam analogia ipſum decipiat, morbumque oblatum male dijudicet.

SE-

SECTIO III.

ADVERSARIA VARII ARGUMENTI.

ADVERSARIA

VARII ARGUMENTI.

Facilis partus.

Domina ſenior de M* narravit, ſibi plus quam per integrum diem humorem copioſum valde de pudendis ſtillaſſe, ita, ut de inſtante partu ſibi multo timeret, etſi nec veſtigium doloris, aut alterius incommodi adeſſet. Exacto autem die partum ſecutum fuiſſe, omnium, quos paſſa alias eſt, longe feliciſſimum.

Facilis partus.

Domina junior de M* poſt copioſiorem humoris ante partum fluxum, faciliorem ſibi partum accidiſſe teſtabatur.

Patet ratio obſervationis; quia ſcilicet partes hoc humore emollitæ diſtentioni majori aptiores redduntur. Patet etiam, quomodo in robuſtis, annoſis, primiparis ſæpe facilitari portus poſſet, ſi ſcilicet inſiderent vapori aquæ calidæ.

Ery-

Eryſipelas.

Eryſipelas.

In eryſipelate gangrænam *plerumqu* producunt humida, calida, & aquoſa, e ex floribus ſambuci parata. Sicca externa & purgans antiphlogiſticum proprie conveniunt; vel humida calida, additis ſpirituoſis e. g. aqua ſambuci, cum aceto lytargirii & ſpiritu vini camphorato. Vidi ex humidis aquoſis bullulas gangrænoſas oriri, ſanatas dein iterum, ſiccis, & purgantibus antiphlogiſticis.

Methodus ruſticorum curandi febres intermittentes.

Methodus ruſticorum curandi f. intermittentes.

Solent quidam ruſtici in Hungaria hauſtu ſpiritus vini cum pipere ſibi febrim abigere. Multi ſumunt magnam vini tokaini portionem, & ſudores dein in lecto ſeſe ſtragulis multis contegendo proliciunt.

Sunt, qui contuſos ovorum cortices, oſſa animalium calcinata cum vino, aut ſpiritu vini, aut etiam in aqua ſumant.

Vidi Viennæ matronam, quæ opium crudum ſumpſit, & pulveriſatum in vaſe ferreo torrebat, affundendo per vices ſpiritum vini, & continuo agitando; idque per

ſemi-

emialteram, & per duas horas continuo
uper carbones, aut leni igne. Sub hac to-
tione erumpit copiosus, densusque fumus,
odore gravi. Manet massa pulverisanda,
quæ colore & sapore pulverisatos carbones
æmulatur. Parvum cochlear hujus pulveris
pro abigenda febre intermittente dare illa
olet. Addit præterea hæc Domina, qui-
busdam moveri urinam, quibusdam vero su-
dores, dato hoc pulvere.

Habent in his partibus balsamum, oleis
ethereis, balsamo peruviano, & essentiis,
atque spiritibus compositum. Dant in lan-
quore quocunque, ad initium morbi acuti;
præcipue vero infantibus, si intermittente
aborent, aliquot guttas cum sacharo, pessi-
no quidem sæpe, ut alibi describam, cum
effectu.

Sunt, qui pulverem caryophillorum aro-
maticorum, nucis moschatæ, salis marini
mnatica portione sumunt. Sunt, qui pelli-
culam ex ovo recenti apicibus digitorum
manus imponant, quæ siccata pruritum ex-
citat, & febrim tollit. Dant item aliqui
pulverem lapidum cancrorum cum succo ci-
tri pro abigenda febre.

Con-

Confuetum inter plebem & nobiles pro evocando lotio in dyfuria, eft pellicula ovi recentis, glandi penis applicata.

Secundinæ retentæ.

Secundinæ retentæ.

In fecundinis retentis varia exhibent. Domina de M** retentas per bihoriam fecundinas habuit, fævissimosque lumborum, ventrisque dolores paffa eft inde. Muria braffica cum fimo equino coquebatur, ponebaturque in fella perforata, ut vapor afcenderet; inde ftatim fecundinæ fequebantur, evanuitque dolor omnis.

Cutis hecticorum.

Cutis hecticorum.

Cutis hecticorum non eft flaccida, pendens, mollis, uti tamen effe folet in atrophicis; in quibus præterea mufculi omnes quafi evanefcere videntur: fed phthificorum cutis arcte adhæret offibus, ficca, craffaque eft, cum emaciatione corporis, fudore ad frontem, jugulum, & fcrobiculum cordis. Hæc obfervata funt in chirurgo noftro comitatenfi.

Do-

Dolores spurii gravidarum.

Solent fœminæ in hoc comitatu in doloribus spuriis, & motu nimio fœtus, abdomen & genitalia fumo croci lustrare.

Dolores spurii gravidarum.

Læsus oculorum motus.

Die 11. 7. Octobris 1772 narravit mihi spectabilis Dominus Consiliarius F**, duas proles oculorum vitium a primis annis contraxisse, ita, ut oculi bulbi celerrime moverentur, micarentque, unde lectio difficilis, & ad candelam fere impossibilis. Non est istud vitium, quod nictitationem vocamus; nam ipsi oculorum bulbi, non autem palpebræ moventur, micantque. Rogavi, an vermibus, scabie, efflorescentiis cutaneis, intropressis forte, acido &c. laborarint. Responsum est, perfecte sanos fuisse pueros, sed nutricem eodem vitio laborasse. Additum etiam illud est, quod hoc oculorum vitium magis magisque per ætatem emendetur.

Læsus oculorum motus.

Rotulæ anthelminticæ.

Hoc ipso die vidi hanc formulam anthelminticam profuisse.

Rotulæ anthelminticæ.

Ee ℞. Mer-

℞. Mercur. dulcis. drachm. ij.
Diagryd. ſulphur. gr. xxiv.
C. C. philoſoph. ſcrup. j.
Cinnamom. gr. x.
Sachar. alb. unc. β.

M. fiant cum ſ. q. mucilag. gum. tragac. aqua roſarum extracti rotulæ N. XXX.

Puero unius anni una detur; duorum, trium, quatuor annorum, duæ; quatuor, quinque, ſex, ſeptem annorum, tres.

Methodi curandi febres intermittentes.

Cura febrium intermittentium

Eodem hoc die audivi, hocce remedio ſibi quosdam febrim fugare. Scilicet: ſumunt herbam, quam vocant *Gutya Rápon*, puto eſſe chamomillam ſylveſtrem. Herbam contuſam ligant ad flexuram cubiti internam, aliqui ad carpum; permittunt per 24 horas, removentque; dein poſt duos, tresve dies veſica oritur, quæ perſcinditur. Simul ſumunt guttas tres olei cumini cum ſacharo, & aliquot guttas ſpinæ dorſi curant fricando inungi.

In N* audivi ſequentia a ſpectabili Domino de K**. ruſticos ſolere incuſſo terrore ſibi, ſuisque curare febres. Solent in hoc pago ruſtici proles ſuas febri intermittente labo-

laborantes ſub frigore paroxysmi in frigidam præterfluentis *Granii* fluvii aquam aliquoties immergere; territæque ſummopere ſanantur. Quidam coquus febricitans ſub paroxysmo ſeſe in eundem fluvium præcipitavit, ut ſibi ipſi terrorem incuteret, ſicque febrim ſanet; at miſer, eluctari non valens, ſubmergebatur.

Eodem die narravit Parochus ex ** caſum ſequentem, quem etiam ab aliis pluribus confirmari audivi. Integro anno variis febribus intermittentibus conflictabatur; multis incaſſum adhibitis, a medico præſcriptis. Contigit, ut domum redeuns aurigam haberet ebrium, qui ad fluvium *Granium* properans, navem, quæ transferret, non exſpectavit, ſed equos in fluvium impulit. Parochus ſummopere territus curru exiliit; equi ſubmergebantur. Febris emanſit; & jam ab anno integro a febri liber eſt.

Loquela deperdita ex diſſimulata ira.

Loquela deperdita.

Audivi a Franciſcano annos circiter 60 nato, ſequentia: Ante annos 14 ex diſſimulata ira, poſt ingentem ex illata contumelia confuſionem, uſum loquelæ omnem perdidit; cætera omnia illæſa erant, optimoque

valuit appetitu. Sumptis aliquot pulveri-bus antiſpasmoticis Hallenſibus loquela re-diit, uſu decocti ex radic. gram. taraxac. lapath. acut. & bardan. cum ſalibus mediis, & alvo ter omni mane hisce remediis mo-ta, convaluit penitus. Oppreſſum pectus ſibi eſſe a multis annis, & glutinoſum; al-vo ſæpe difficili laborare; ſubinde tamen in medio discurſu verbum aliquod exprimere non poſſe, lingua ipſius voluntati non obe-diente; dolore lumborum, tractione ad nu-cham laborat.

Dolores a ſecundinis.

Dolores a ſecundinis.

Si cum ſecundinis retentis ſpasmus uteri coincidat, ſive is cauſa, ſive effectus ſit re-tentarum ſecundinarum, ſæviſſimi dolores febrisque excitabitur. Si vero ſecundinæ absque ſpasmo retineantur, nil mali inde ſe-quetur. Quare autem in ſecundinis retentis ſubinde ſpasmus adſit, ſubinde non adſit, difficilior forte quæſtio eſt, quam ut poſſit expediri.

Patet, in dolore a ſecundinis retentis non deberi vim adhiberi, neque extrahendas eſſe per vim ſecundinas, ſed oleum epotum, cataplasmata abdomini, pubi, lumbis adpo-ſita;

ſita; balneum vaporum admiſſum ad genitalia, opium, optima eſſe remedia; præcipue vero ſumpto opio, clysma emolliens ex oleo.

In ſpasmis, qui dolores illos *poſteros* dictos, & febrim acutam, lochiorum ſuppreſſionem cauſſant, eadem omnino remedia valent.

Dolores *ſpurii* ſpasmi ſunt partium quarumdam generationi famulantium, aliarumque in conſenſum tractarum. Valent eadem remedia.

Dolor pungens ad hypochondrium ſputo ſanguinis ſolutus.

Dominus S** mihi narravit, ſe per aliquot annos habuiſſe dolorem pungentem ad hypochondriam ſiniſtrum, & ſimul eodem tempore acceſſiſſe dolorem pariter pungentem ad latus dextrum. Cæpit deinde ſanguinem ſpuere, idque ſæpius. Ab illo autem tempore nullos amplius dolores pungentes ſenſit unquam. Eſt autem homo ſtaturæ longæ, ſcapulis alatis, collo longo, pectore compreſſo, barba nigra, colore fuſco. Verificatur ſic aliquis textus *Hippocratis* de

Sputum ſanguinis.

 do-

dolore ad hypochondrium, ſputum ſanguinis præeunte.

Fœtus diu non reſpirans excitatus.

Infantis aſphyxia.

Puella Anna Maria Dominæ de M* junioris, ut in lucem edita eſt, erat major, pinguiorve, quam aliæ proles ejusdem matris; partus difficilis. Proles diu non reſpiravit, eratque facie livida, fuſca. Titillatione per ſetas plantis pedum adhibita, maſticato allio in nares prolis infufflato ejusdem halitu, non tamen excitabatur. Sed dum lingua leniter vellicaretur, ilico clamando reſpirare incepit. Sale ad linguam adpoſito id fors obtineretur.

Remedia euporiſta in affectione hyſterica.

De morbo hyſterico.

Solent ſalem communem intra duplicatum linteum exceptum, & calefactum, in vomitu pertinaci ad ventriculum adponere. Videtur ſal partim calore, partim ſtimulo ſuo in nervos agere, & excitato alicubi nervorum motu, eundem alibi exiſtentem ſopire. Patet hinc, quod forte in vomitu hyſterico irritationes ad plantas pedum per ſetas, item fumus tabaci in anum immiſſus,

cly-

clysma opiatum, vellicationes, inuncta acria, scarificationes, cucurbitæ siccæ ad ventriculum, ad abdomen; fumus item tabaci per fistulas attractus in pulmones, tam in vomitu hysterico, quam in strangulatione illa hysterica, item tabaca fors per nares attracta, excitataque sic sternutatione &c. consuli possint.

Aqua hydropicorum crurum educta.

Vidi in fœmina hydropica aquas ex cruribus educi thermis. Post thermas circa crura folia sambuci, item cortex sambuci medianus ponebantur. Involvebantur crura ocreis ex lana (Filz) confectis. Sic sudore pedum prolicito, eorundem tumor abiit.

Hydrops.

Oculorum morbi ex variolis.

Maculæ in oculis fiunt *durantibus* variolis, quando scilicet lympha copiosius secreta oculum ob tumidas modo palpebras clausum, alluit diutius sua acrimonia, quam stagnando contrahit, eundem inflammat. Inde reliqui inflammationis exitus sequuntur. Patet utilitas apertionis oculorum, item ablutionis lacte, aut aqua rosarum, item pe-

Morbi variolarum posthumi.

diluviorum. Cum epiſpaſtica tam potenter revellant, an non optime etiam hæc adhiberentur?

Sed etiam poſt variolas vidi ſæpius oculos male affici; ſcilicet: ſicut puriformis materia in ſanguine oberrans ſuperficiem corporis externam petit, & per modum furunculorum exit, ita ad oculos ſæpe deponitur, & hypopion efficit.

Angina oëdematoſa.

Angina. In angina oëdematoſa optime convenit cochlear coffeanum ſæpius ex eſſentia pimpinellæ deglutire. Hæc angina pro ſua ſede plerumque uvulam, rarius vicinas partes occupat; tempeſtate humida frequens.

Paralyſis.

Paralyſis. In membro paralytico eſt ſubinde *relaxatio* fibrarum, tunc autem fumi aromatici & ſiccæ frictiones conveniunt. Subinde vero eſt fibrarum *adſtrictio* & *exſiccatio*; tunc vapor aquæ & unguenta emollientia cum leni ſtimulo proſunt. Subinde eſt *adſtrictio* in flexoribus, *relaxatio* in extenſori-

ri-

ribus, tunc autem duplex remedium, cuilibet malo proprium eſt adhibendum.

An, & quando thermæ concedendæ hydropicis.

Thermarum uſus in hydrope.

Cum videam in his terris fœminis hydropicis, & ſaltem laxi habitus, thermas non tantum concedi, ſed etiam ſuaderi, quæritur, utrum hoc tuto fieri poſſit? Reſpondeo: quamdiu corpus aquis refertum eſt, ſana ratio dictat, peſſimos effectus ſequi a thermis, quales in fœmina etiam vidi, fluore albo & acri diu laborante. At ſi aquæ eductæ ſint ex toto fere corpore, & ſolum in cruribus reſtitent; tunc multiplex adhiberi methodus poteſt. Vel enim datis *roborantibus* reſidua in cruribus aqua reſorbetur, vel pergendum adhuc eſt in *evacuantibus*, vel ſi aquae hæ ita ſint extra communem curriculum poſitæ, ut ſub eundem revocari nulla amplius ratione poſſint, qui caſus fuiſſe videtur illius fœminæ, de qua paulo ante dixi, cui aquæ per thermas & corticem ſambuci eductæ ſunt, tunc thermæ convenient cum cortice ſambuci; attamen hanc ego cautelam adhiberem, ut corpus reliquum medicamentis robotantibus & exercitio fir-

maretur interim, & pedes fasciis ligarentur, quum ligatura sudorem, qui in hoc casu requiritur, non prohibeat, prohibeat autem nimiam fibrarum laxitatem. Quod si ne sic quidem educerentur aquæ, curarem ego illas educi per scarificationes.

Ratio, quare vomitoria febres intermittentes sanent.

Usus vomitoriorum in febribus intermittentibus.

Sunt, qui omnem fere febrem intermittentem, imo omnes fere morbos periodicos ex affectione primarum viarum, & potissimum ventriculi deducant, etsi sæpe consueta illius signa non adsint, quæ harum viarum affectionem indicent. Rationes multiplices afferunt, hanc autem primariam putant, quod hi morbi, præcipue febres intermittentes persæpe emetico exhibito sanentur; item quod copia ingens materiæ mucosæ per emeticum eliciatur. At nescire videntur hi, quod emeticum solum eatenus hos morbos sæpe tollat, quatenus aliam in nervos diathesin inducit actione sua valida, non autem quatenus evacuat; nisi manifesta causæ excitantis signa in primis viis hærentis deprehendantur, ubi duplici tunc modo emeticum prodest.

Mu-

Mucosa materies per vomitum rejecta primum ab irritante medicamento prolicita pro morbi causa haberi non debet.

Laudant exhibitionem emetici paulo ante paroxysmum, unde magis adhuc elucescit, quare hac ratione febres intermittentes sanentur persæpe.

Remedium in acido infantum.

Rosensteinius in acido infantum sequentia præscribit :

Acidum infantum.

℞. Magnesiæ albæ unc. j.
Pulv. flaved. cort. aurant.
Fœniculi dulc.
Sachari albi āā. dr. ij.
M.
Sumat nutrix quater, aut quinquies per diem cochlear coffeanum in aqua.

Pro ipso autem infante:

℞. Aquæ fl. til. unc. iij.
Olei amygd. rec. & frigide pressi unc. j.
Salis tartar. scrup. j.
Ovi recent. vitel. dr. iij.
Mucilag. gum. arab. dr. j.
M.

De-

Detur infanti omni hora, aut etiam omni dimidia hora cochlear caffeanum.

Nutrix poteſt etiam ſequenti potu uti:

℞. Aquæ fontan. menſur. j.
Salis tartar. unc. β.
M. D. u.

Sumat interdiu cochlear ordinarium aliquoties per diem, præcipue ſi advertat, infantem colicam ab acido pati.

Quare tam multi in Hungaria hæmorrhoidarii?

Hæmorrhoides.

Alvum ſiccam, difficilemque hæmorrhoides producere notum eſt. In Hungaria paucos reperies, qui utroque non laborent. Cum enim ob fumum tabaci ſalivæ excretio copioſa ſit, itemque ob uſum ſpirituoſorum, vinoſorum aliæ excretiones, perſpirationis, urinæ, pariter ſint copioſiores, patet, cur ſubductis humoribus fœces ſicciores, & difficilior earum excretio fiat, indeque hæmorrhoides naſcantur; patet etiam remedium, quo alvus facilior fieri poſſit.

Re-

Remedia domestica Hungarorum.

Si sumatur cochlear ordinarium succi ex radice arboris sambuci expressi, sequitur vehemens admodum purgatio *ανω και κατω*, fere enim vigesies dejiciunt.

Medicina domestica Hungarorum.

Decoctum Hyoscyami factum in vase terreo bene clauso, & dein mediante infundibulo admissus vapor, tollit dolores dentis cariosi repente, sæpeque educit vermiculos, & ingentem copiam muci prolicit. Hinc etiam juvaret in dolore dentium a *defluxione*, cum materiam depositam proliciat.

Gemmæ ramulorum sambuci cum oleo & aceto comestæ, leniter purgant.

Mercurius etiam juvat in scirrho non venereo.

Vidi incipientem scirrhum non venereum, emplastro de ranis cum mercurio quadruplici bene sanatum a chirurgo nostro comitatensi. Sunt, qui mercurium tantum iu scirrho venereo utilem censent; at falluntur. Hoc emplastrum multum aquæ extrahit, debetque sæpius removeri, & aqua abstergi, idemque rursus apponi.

Usus mercurii in scirrho non venereo.

Fe-

Febris intermittens attentione curata.

Febris intermittens.

Narravit mihi Dominus H**, ſibi quondam febrim intermittentem hac ratione curatam. Habuit ad menſam hominem jucundum valde, cujus jocis cum omni mentis adplicatione attenderet, horæ conſueti paroxysmi oblitus eſt; hora interim abiit, & paroxysmus emanſit.

De ſcabie.

Scabies.

In curanda ſcabie, ſi adhibeatur unguentum ex floribus ſulphuris, tunc ſemper alia evacuatio tentanda eſt; ſcilicet vel purgantia, vel, quod optimum mihi videtur, ſudorifera. Si medicamenta interna ſudorifera non adhibeantur, ſufficient balnea calida.

Senior Domina de M*** ſequens unguentum contra ſcabiem adhibet: Sumit duas radices recentes, quas Hungari lingua ſua *Lososka* & *Örwéngyökér* vocant; has lotas, conſciſſasque contundunt, & ſuper contuſas radices lac emulgent, reponunt per 12 horas, & tunc cremorem enatum auferunt, quem pro unguento aſſervant. Curant autem ſcabiem hac ratione: ſcilicet primo & ſecundo die loca ſcabioſa hoc unguen-

guento unguntur, & tertio die balneum calidum adhibent, quod ſubinde iterari debet, ita, ut duo, aut tria balnea, ſcilicet tertio, quarto, aut quinto die debeant adhiberi. Aſſeverant, certam eſſe curationem. Poſſet emendari hæc methodus, ſi ſcilicet uno die ungeretur homo, altero autem die adhiberetur balneum, & ſic alternaretur; aut loco balneorum ſudoriferum propinaretur, aut ſudoriferum cum balneo conjungeretur, aut alia tentaretur evacuatio.

Pollutionis nocturnæ curatio.

Pollutiones nocturnæ.

Galenus præſcribit iis (C. VI. de ſanitate tuenda), qui ex copia, vel caliditate, vel acrimonia ſeminis frequenter pollutiones nocturnas patiuntur, balnea aquæ dulcis, victum tenuem, refrigerantem, e. g. ex ſempervivi, ſolari, umbilici veneris ſuccis refrigerantibus; veneris imagines, lamina plumbea renibus adpoſita coercet; unctiones ex mandragora, item papaverinas minus tutas eſſe aſſerit, Vidi etiam nitrum dari, cum adſtringentibus ſuccis acaciæ &c.

At alia ſæpe ſubeſt cauſa pollutionis, quam ſeminis copia, aut ut Galenica phraſi utar, ſeminis caliditas. Viri, qui ſyſtemate

ner-

nervorum nimis irritabili præditi ſunt, qui-
ve melancolia, ſine materie, dicta laborant;
item univerſim viri corpore debili, laxove
frequentiſſime pollutionibus nocturnis ve-
xantur. His cura *Galeni* male cederet.
Præterea, licet remedia roborantia indicen-
tur, tamen cum ea tardius operentur, & in-
terim corpus frequenti hac ſeminis deperdi-
tione peſſumdaretur, patet aliud quid exco-
gitandum eſſe, quod effluxum ſeminis certo
impediat, quin morbo principi augmentum
accedat. Inveni remedium ſimpliciſſimum,
& multiplici experientia confirmatum; ſci-
licet: ut homo decumbens penem flaccidum
filo ita liget, ut eundem ligatum eſſe non
ſentiat, & filum penem probe complectatur,
quin eum ſtringat, moleſtetque; cum jam
ſeminis effluxus absque penis erectione vix,
aut nunquam fiet, errigi autem ille non poſ-
ſit, quin vehementer doleat ob filum, quo
modo conſtringitur, ſic aut evigilabit, aut
ſomnium venereum in aliud repente muta-
bitur, & pollutio certe impedietur.

Sunt alia, quæ deperditionem ſeminis,
licet minus certo, impediunt, & quæ ex
textu *Hippocratis* (Libro de principiis, car-
nibus, ac genitura) deſumi poſſunt; ubi
Hippocrates ait: humidum ſpumeſcere fa-

ciunt

ciunt labores, tegumenta, objecti cupiditas, alimenta, ac medicamenta nonnulla. Certo constat, vectionem in carpento multam per strata viarum, lectum mollem, stragula multa, partium præcipue infernarum, vinum vesperi haustum, cænam solummodo solito largiorem, mentemque rebus venereis assuetam, plurimum pollutiones nocturnas promovere.

Varia remedia in varia phthiseos specie.

Remedia antiphthisica.

Sunt qui promiscue in phthisi modo lac, modo aquam selteranam cum lacte, modo juscula viperarum, testudinum, ranarum præscribant; at opinor, minus recte. Lac in corpore emaciato, & atrophico, vel ex morbis prægressis, vel ex propria corporis diathesi, item ex tabe purulenta egregie convenit. At si sit phthisis a materia scabiosa, muriatica, juscula viperina, testudinum, ranarum egregie conveniunt. Balsama damnantur in tabe purulenta a *Morgagni*; fors ob vim roborantem in illa phthisi, quæ a sola partium relaxatione provenit, magis conveniret; quamvis etiam tunc non semper, & admodum caute.

Facilior curatu eſt illa phthiſis, quæ a retropreſſa quacunque materie acri, ſcabioſa, herpetica, oritur. Difficillime curatur tabes purulenta.

Cortex in prima illa phthiſeos ſpecie, ſcilicet orta ex ſola partium relaxatione, egregius eſt; præcipue ſi nutritio frequens, ſed parca ſemper, & equitatio accedat. Eſtque hæc ſola phthiſeos ſpecies, ubi adeo laudata a *Sydenhamo* equitatio prodeſt; in omni alia phthiſi mortem accelerat; in tabe purulenta id vidit *Morgagni*. *Sydenhamus* autem ſpeciem morbi non determinavit aperte, at ex exemplo Antiſtitis ſui patet abunde, ubinam locorum equitatio proſit. Cortex conuenit una cum lacte, aliisque in tabe purulenta, roborat, antiſepticum eſt, & tamen non ſtimulat. Medici plerumque nimis parce propinant corticem.

Fluor albus.

Fluor albus.

Olim rariſſimus in Hungaria fluor albus erat, uti conſtat ex univerſali ſeniorum matronarum narratione. At ob potus matutinos calidos, delicatioremque & magis otioſam vivendi rationem, fluor hic modo frequentior eſt.

De

De cortice peruviano.

De cortice peruviano.

Cortex peruvianus ſubinde febrim intermittentem omnino non tollit, quacunque forma, aut doſi datus. Subinde eam quidem tollit, ſed id cum malis ægri rebus fit. Obſervavit Illuſtris *B. de Stœrk* intermittentes, quarum paroxysmi nullo ſudore terminabantur; erant hæ dato quacunque doſi, aut forma corticis incurabiles; hac methodo curavit ergo: ad primum initium paroxysmi totam dorſi ſpinam & os ſacrum pannis laneis fumo aromatico & camphora imbutis fricari, pannos camphora impraegnatos his partibus adplicuit. Præterea corpus potu calido theato implevit, ſecutus ſudor eſt, & ſola hac ratione, nullis adhibitis aliis, cortice antea fruſtra tentato, febris emanſit, absque ullo ſui ſigno in poſterum.

Febris a materia ſcorbutica, ſcabioſa, venerea &c. concitata, corticis vires eludit. Item febris a pure reſorpto orta, cortice quidem compeſcitur, ſed tarde, & non niſi diuturno ejus uſu, quatenus ſcilicet cortex eſt antiſepticus, roborans, & ipſam morbi ſcaturiginem attingit.

Audivi ex ægrota quadam in noſocomio civico Vindobonenſi, ſibi febrim quartanam

nullo alio medicamento curabilem, unica tandem venæ ſectione fuiſſe curatam.

Contigit mihi, ut vocarer ad Dominum Th. O**, cujus hiſtoriam alibi retuli, qui jam per annum quartanam habuit, corticis quidem uſu, at nimis pauco, & non diu ſatis protracto, ſubinde parumper ſilentem. Incidit is in morbum acutum. Facta mane venæ ſectione veſperi exſpectatus paroxysmos emanſit, qui tamen antea, præſente licet febre acuta, ſatis vehemens adhuc fuit. Fuit autem ægrotus homo juvenis, robuſtus, & comeſſationum amator.

Illuſtris B. de *Stœrk* febres etiam contra corticem ipſum rebelles, in hominibus bono pulmone præditis, fugavit ſequenti hauſtu, quem dimidia ante inſultum febrilem hora propinavit; eſt autem ſequens.

℞. Syrup. diacod. unc. β.
Aquæ fl. rhæad. unc. ij.
Spiritus ſulph. per camp. dr. j.
M.

De Somno a paſtu.

Somnus meridianus.

Quæritur, an ſomnus utilis ſit poſt paſtum? Sunt ſcriptores, qui apoplexiam, aliaque multa mala timent a ſomno poſt paſtum capto. At videmus pleraque animalia

poſt

poſt paſtum decumbere. Reſpondendum autem eſt, ut ille, qui adſuetus eſt ſomno, pergat ſuo more vivere; qui non eſt adſuetus, ſe non adſuefaciat. Meridiatio, id eſt parvus in meridie ſomnus aſſueto utilis eſt.

Corpora, quæ poſt nimium exercitium cibantur, læduntur. Exercitium antimeridianum omnino egregium eſt, modo non fiat ſtatim ante prandium, ſed potius mane.

Nimius ſomnus torporem & laſſitudinem facit: ſæpe Magnates queruntur de laſſitudine matutina, ſed pauciori ſumno curantur facile. Sunt tamen qui longiori ſomno indigeant.

Pollutionis nocturnæ effectus.

Pollutiones nocturnæ.

Vidi pertinaces, & graves vertigines in juvene a frequenti pollutione nocturna; item in alio juvene easdem a manuſtrupatione *Grypalopex Epidem* L. VI. ex frequenti pollutione nocturna tabidus factus, & mortuus eſt.

Signa futurarum variolarum.

Variolarum prodromi.

In primo variolarum ſtadio obſervavi aliquoties dolores lumborum cum ſomnolentia,

tia, junctisque subinde durante somno convulsionibus, & paroxysmo vere epileptico, cum spuma oris scilicet &c. At puer Ladislaus K** loco doloris lunborum questus est dolores colicos, insigniter somnolentus fuit, & septies passus est durante somno insultum epilepticum; at erumpentibus variolis puer sanorum more se habuit. Quodsi suffocatio metuatur a tali paroxysmo epileptico, proderit dare spiritum cornu cervi, & diacodiata, aut levissima opiata.

Debilitas vera & fictitia.

Debilitas vera & fictitia.

Duplex debilitas datur in acutis: *vera* una, altera *fictitia*; pulcherrime illam, & vere Hippocratice descriptam utramque videmus in *Hippocrate de victus ratione in acutis*. Si ergo homo sit, qui antea non manifesta vasorum inanitione laboravit, & in febrim acutam incidit cum ingenti virium prostratione, erit *fictitia debilitas*. Quorsum enim devenisse dicatur prior humorum copia tam subito! Erit ergo major eorundem moles, quum quæ commode per corpus circumduci possit. Videmus ergo male metui in hoc casu evacuationem sanguinis, male dicta sic cardiaca dari; optimum cardiacum esse

esse venæ sectionem. Videmus hanc fictitiam debilitatem in plethoricis; vidit eandem Sydenhamus in juvene suo, cui facta venæ sectione exorta est ingens febris. Signum nos bene de fictitia hac debilitate judicasse, est, si post venæ sectionem pulsus *liberior* sit, *molliorque*. Venæ sectio eo usque facienda, quousque manet, aut redit hæc debilitas.

Curatio febrium acutarum.

Cura febrium acutarum.

Vide L. III. de morbis in *florilegio* p. 168, accuratam methodum curandi acutas febres; ubi id observandum est, quam sollicitus *Hippocrate* fuerit de omnibus viis, per quas natura plerumque materiam coctam efferre solet, aperiendis, parandisque.

Intermittens febris hyemalis narium hæmorhagia soluta.

Febris intermittens.

Puella annorum circiter septem per unam septimanam quartana laboravit, quæ absque intervallo in quotidianam abiit, cujus paroxysmi nulla certa diei hora rediere. Puella emaciata, cum appetitu vegeto, hypochondrio sinistro tumido, tumidoque simul toto

abdomine. At oborta ſponte larga narium hæmorrhagia, & febris, & tumor hypochondrii, ac abdominis ceſſavit. Puella hæc omni veſpera ſumpſit lapides cancrorum, at ſemper absque effectu. Patet, male corticem ceſſurum fuiſſe in hoc febre, ſolventibus locum fuiſſe. Emanſit autem febris circa initium Januarii.

Anginæ variæ.

Angina.

Angina phthiſicorum partim a tuſſi, partim partium exſiccatione, extenuatione, & ulcusculis, fors a pulmonibus ſurſum aſcendentibus. Vidi tamen hanc anginæ ſpeciem in binis ægris, quarum una phthyſi renali, altera pulmonali mortua eſt, ubi ægrotæ ante mortem ſenſum oris ex toto exulcerati, & impoſſibilem ad ultimum deglutitionem querebantur, & tamen nihil apparuit in ore exculcerati. Sed tota caro oris albidior erat, quam pro ſtatu naturali, referebatque carnem ranarum ſanguine jam eloto. Angina alia a tuſſi mucum naturalem abſtergente.

Angina a materia catarrhali ex interiorum narium foraminibus ad fauces defluente, parteſque ſenſiles irritante. Hinc patet uſus

linc-

linctuum materiam acrem involventium, mucum abrasum restituentium. Patet etiam linctus debere ex mucilaginosis parari. Valent linctus in quacunque tussi, quia concutiendo mucus abraditur, quo ablato tussis pertinacior evadit.

Si ex membrana Schneideriana nares & os investiente materia acris defluat, fauces irritet, concitet tussim, & sese furtim per asperam arteriam in pulmones insinuet, est *catarrhus*, sive *defluxio* in sensu proprio. Cum catarrhum semper præcedat gravitas capitis, sensuum hebetudo, facta autem materiæ catarrhalis depositione ad aliquam partem caput melius habet; hinc nata opinio *Veterum* de catarrhis a cerebro defluentibus. Vide etiam explicationem *Morgagni.*

Apoplexiæ cum febre.

Apoplexia

Si materia rheumatica in febre rheumatica cerebrum petat, erit apoplexia, aut paralysis cum febre; item ex cerebri, membranarumque ejus inflammatione oritur sæpe appoplexia cum febre. Sed & multæ aliæ dantur *sine febre.*

Decocta quando calide, quando frigide sumenda.

Calidorum & frigidorum usus.

Multum intereſt, an decocta *calide*, an *frigide* ſumantur. In obſtructione viſcerum post intermittentes, cetero habitu leucophlegmatico, pituitoſo, uno verbo, ubicunque aperientibus, ſolventibus, amaricantibus opus eſt, ibi decocta non debent propinari *calide*; cum vires ventriculi jam alias debilitatæ plerumque in hiſce caſibus potu *calido* magis dejiciantur. Obſervatio eſt magni momenti, cum idem decoctum in eodem ejusdem ægri ſtatu diverſos toties effectus præſtiterit, prout calide, aut frigide aſſumebatur.

Locus epiſpaſticorum.

De veſicantibus.

Epiſpaſtica ad plantas pedum adplicata tam in aliis, quam in me ipſo minns efficacia inveni. At ſi etiam ſuperior pedis pars epiſpaſticis tegatur, quod ipſus mihi adplicari in morbo acuto juſſi, brevi dolor, & rubor, & levis Inflammatio pedis, cum manifeſta, & cita capitis emendatione. Mirabar ego, vehementiſſimum, quem patiebar, dolorem capitis, ſenſuumque hebetudinem

dinem poſt quadrantem horæ evanuiſſe eo gradu, quo dolor & irritatio ab epiſpaſticis facta increverat. Poſt primam venæ ſectionem ſtatim debent adplicari.

Idem valet de veſicantibus. Debent veſicantia per totum morbum aperta teneri unguentis leniter rodentibus, & dolorem excitantibus. Id fit per unguentum ex una parte unguenti digeſtivi communis, & 5 aut 6 partibus olei ovorum, lini, olivarum, butyri inſulſi. Malo ea ad ſuras, & femora, quam ad ſuperiores corporis partes adplicare, ſaltem ad initium, cum hic quæratur *revulſio*. Rodentia, dolorem facientia non adplicentur ad noctem, ne ſomnus turbetur. Hinc juvabit, ad veſperam adplicare veſicantia, ut mane digeſtivum adplicari poſſit, & nocte proxima ſomnus ſequatur. Veſicantia tali modo & tempore adplicata erunt optimum *paregoricum*.

Venæ ſectio in intermittentibus.

Venæ ſectio in intermittentibus.

Quartanam aliquoties venæ ſectione curatam audivi. Quando autem venæ ſectio in intermittentibus facienda eſt? Reſpondeo: Sunt quædam febres continuæ remittentes, quæ ſui indicium extra paroxyſmi

tem,

tempora vix, & non nisi oculatissimo medico exhibent. Hinc venæ sectio facienda ex ea ratione, ex qua in continuis remittentibus solet fieri. 2do Nota est affinitas inter quartanam præprimis, & epilepsiam, aliosque systematis nervosi morbos. Sicut ergo una ex infinitis epilepsiæ caussis etiam plethora est, sic eadem plethora quartanam excitare potest. Quare autem potius quartanam, quam epilepsiam producat, & vice versa, omni humana indagine altius esse puto.

Alvum emollientia euporista.

Eccoprotica.

Sunt, qui de alvo difficili, dura, dolorifica querantur, & quibus illa mollior reddi debet, non tam ob rei incommoditatem, quam quod ob hæmorrhoides alias inde nascituras, id omnino necessarium sit. Vitrum aquæ frigidæ aut vesperi ante somnum, aut mane jejuno adhuc stomacho; item fumus nicotianæ jejuno stomacho per fistulam attractus; cochlear unum alterumve mellis vel mane, vel pro mensa secunda assumptum; caseus præcipue ovillus mane, aut a prandio copiosius comestus; pruna ad noctem cum melle aut sacharo præparata, alvum in-

insigniter emolliunt. Chocoladam aliqui putant movere alvum, cum tamen id aquæ frigidæ, quæ superbibi solet, potius adscribi debeat.

Paroxysmi hysterici.

Morbus hystericus.

In exhibendis antihystericis ea cautela adhiberi debet, ut ne sint nimis acria. Imo sunt, quæ essentias, tincturas qualescunque antihystericas ferre nequeant, ob spiritum vini præsentem. Optimum tunc erit, solo uti laudano, aut pauxillo vini, quod ore assumi debet.

Unde usus sudoriferorum in acutis.

Sudorifera in morbis acutis.

Multæ sunt rationes, quare sola sudorifera fere in usu sint in acutis apud Hungaros. Una est ratio, quia re vera vident quosdam acutos morbos sudore judicari. Alia autem est, quia ob occasiones in Hungaria frequentiores suppressæ transpirationis sæpissime alterantur. Sumpto potu sudorifero restituitur transpiratio, si in primordio hæc medela adhibeatur, eaque restituta, ut clarum est, bene se habent. Sed male dein argu-

menta

menta ad vere acutos, eosque omnes transferunt.

Hœmorrhoidarii & melancolici.

Hæmorrhoides.

Homines cœlibes, litterati, otiose, & simul laute viventes ad annum 26 & 30 hæmorrhoidibus laborare incipiunt. Dolor lumborum adesse tunc solet dorsi, nuchæ, syncipitis, animus tristis, anxius, subiti terrores, ascendentes subito calores cum sudore subsequente universali; vertigo, caligo oculorum, subita respirationis difficultas & oppressio pectoris, subito & improviso orta cordis palpitatio, dolores varii, vagique; colica, præcipue jejuno stomacho, sumpto dein cibo sedari solita. Sedes plerumque dura, difficilis; quamvis etiam viderim, qui laxam habuerint. Hi autem ultimi tubercula hæmorrhoidaria raro aut nunquam experiuntur, licet omnibus hucusque descriptis symptomatibus vivant obnoxii. Somnus interruptus, aut cum insomniis, appetitus vegetus. Juvat vita exercitata, parcior victus, abstinentia a spirituosis; venæ sectio in pede frequentior, item talia, quæ alvum reddunt lubricam; si purgandi sint, tunc semper præmisso pridie olei amygdalarum hau-

haustu sumant sequenti mane aquam laxativam viennensem; nam qui sæpe sedis difficultate laborant, a purgantibus formæ solidæ vomitum cum terribili dolore colico, absque dejectionibus pati solent. Hinc iis *oleosa*, & dein purgantia liquida conveniunt. Factis debitis evacuationibus subinde ad sopiendos nervornm motus nervina, præprimis vero laudanum purum conveniunt.

De opio.

Quomodo opium dolorem tollit? Respondeo: spasmum fibrarum solvendo. Sunt quidam, qui asserunt, dato opio solam mentem captivari, manente interim doloris causa, id est, fibrarum spasmo. Probatur hæc prior sententia ex ileo, & vomitu, & colica per opium sopito; ubi cessante motu & spasmo intestinorum, dolor, spasmi effectus cessat. Hinc causam qnidem materialem doloris raro tollit, at fibram reddit torpidiorem.

De opio.

Sunt, qui in propinando per epicrasin opio doses nimis cito repetunt, existimantes, nullo ex dato prius opio effectum sequi; at cum multi sunt, qui vires opii primum post horam, post $\frac{3}{4}$ horam sentiant,

appa-

apparet non adeo cito feſtinandum eſſe in repetendis opii doſibus. Ex mea, tum in me ipſo, quam aliis experientia conſtat, poſt ſemihoram a propinato opio diaphoreſin, imo & ſudorem animadverti, & dein poſt aliam ſemihoram blandus ſubinde ſopor, aut ſolutio ſpasmorum ſequitur.

Tumor hypochondriorum.

Tumor hypochondriorum.

Vidi puerum, qui olim ex quartana diuturna tumorem hypochondrii ſiniſtri accepit, qui poſtmodum toties augebatur, quoties ob quascunque cauſas purgaretur κατω.

Tumores hypochondriorum a febribus ſunt plerumque in ipſa ſubſtantia lienis, aut hepatis; ſæpius tamen in liene, quem ſæpiſſime ita increviſſe vidi, ut totum latus abdominis ſiniſtrum expleverit, manſeritque tale toto vitæ tempore abſque læſione notabili ſanitatis. Solus ſubinde dolor in motu corporis, curru, equove moleſtus fuit, quem tamen lata faſcia abdomen inferius comprimens, & lienem pondere ſuo deorſum tendentem, nexusve ſuos diſtrahere conantem, in ſuo ſuſtentans ſitu facile tollit. Datur & alius tumor, uti abdominis,

ita

ita & hypochondriorum, in corporibus laxis, inteſtinis dilatatis, vasculis glandulisque eorum obſtructis. Pueri pallidi, tenſo diſtentoque abdomine, diæta cruda viſcidaque utentes, ad hanc ſpeciem pertinent. Curantur optime ſapone veneto & rheo. Si autem adſit diarrhæa, flatus, borborygmi, cum diſtento magis magisque abdomine, idem morbus erit, qui prior, niſi in majori gradu; nam obſtructis fere omnibus glandulis, vaſisque reſorbentibus infarctis, exhalantibus vero dilatatis, illuc ruent humores, elabenturque, & facient diarrhæam aquoſam, qua repente ſuppreſſa abdomen enormiter tumeſcit, anxiique redduntur, & male habent. Conveniunt tunc roborantia cum pauxillo rhei, omiſſo interim ſapone veneto, qui diarrhæa ſenſim ſublata, demum cum rheo, & amaricantibus dari debet.

Tumor hypochondriorum a diſtento flexu coli in ſedentariis, litteratis &c. non debet confundi cum tumore eorundem ab ipſo lienis hepatisque infarctu. Signa prioris tumoris facile habentur ex eo, quod tumor talis loco moveatur, major minorque fiat ſæpe ſubito, flatu, ructibus emiſſis impuatur, aut evaneſcat. Poſterioris tumoris, præcipue ſi is in hepate ſit, ſunt dolor in

 motu

motu corporis, curru, equove. Color icte-ricius, qui ſubinde leviſſimus quidem eſt, attamen fere continuus, tumore vix, aut non mobili, difficultate in ſanum latus cubandi.

Vidi in fœminis olim puerperis tumores tales epigaſtrii, aut hypochondriorum dolentes, mobiles pro diverſo corporis ſitu majores, minoresque; puto eſſe inteſtinum ibi locorum in ſaccum extenſum, aut potius dari ibi quemdam in inteſtini pariete dilatato receſſum, fors ob preſſionem ab utero gravido factam. Curavi eos ſapone veneto, cum amaricantibus & rheo, gummi ammoniaco aliquoties.

De nicotiana.

De nicotiana.

Nicotianæ, ſive fumi, ſive pulveris, datur neceſſitas apud aſſuetos, ſicut opii apud Turcas, vini apud potatores, eſtque eadem ubique ratio. Absque tabaco languent, ſtupidi, torpidique ſunt. Novi hominem fumi potatorem, qui nil egregii, inſignis alias juriſta, ſcribet, niſi uſus fumo nicotianæ prius fuerit. Habeo amicum pulvere nicotianæ delectari ſolitum, ſed ſine ejus uſu languidum, & ad ſeveriora ſtudia ineptum.

De-

Decoctum nicotianæ (quod in libero aëre fieri debet, cum adstantes inde temulenti fiant) pediculos pecorum, & scabiem ovium, si laventur, certo pellit. Frequens in Hungaria remedium.

Fumus nicotianæ jejuno stomacho, aut post potum caffé multos leniter purgat. Pruna cocta, etiam sicca aliquot mane comesta, præcipue illa acida, alvum aperiunt.

Camphora mercurio addita.

Addita mercurio camphora non facit salivationem: quare? respondeo, quia mercurium ad corporis superficiem determinat camphora sudorem movens.

Opium in febribus.

De opii usu in febribus.

Opium purgantium vim castrat, quatenus fibras reddit torpidiores, & vim illam irritabilitatis minui. Hac sublata idem fere fit, ac si stimulus non adesset, licet is revera maneat. Magni momenti hæc observatio est, cum plerique putent, spasmum, irritationem, natumque inde humorum affluxum, & febrim dato etiam opio manere, solamque captivari mentem, indeque opium omittunt.

tunt. Interim, factis opio induciis de eliminanda, vel mutanda caufa cogitari debet.

De variolis.

In variolis femicupia fere continua debent adhiberi, ut oculis & reliquæ faciei profpiciatur. Item ut cute emollita dolor pedum & manuum alias magnus evadat mitior, præcipue autem, ut puftulæ in planta pedum alias dolentiffimæ facilius prodeant. Quodfi rubedo oculorum nec fic quidem ceffet, adhibenda erit camphora, venæ fectio, vel, fi hæc fieri non poffit, hirudines circa oculum.

Vidi in tribus pueris variolantibus plures variolas in finiftra faciei parte: forte ideo, quia dextræ faciei parti incumbunt dormientes. Victus in variolis optimus eft ex prunis & pomis.

Vidi duas puellas trium annorum, obefas, plethoricas, & pro ratione ætatis robuftas, quæ facillimis & pauciffimis variolis ægrotabant, ubi debiliores aliæ plures & fæpe difficiles cum magna febre variolas habuerunt, etfi benignas. Fors eadem eft obfervatio circa variolarum facilitatem, vel difficultatem, ficut in dentitione. Proles vale-

le-

letudinariæ, debilesque difficillime & difficilius dentiunt, quam ſanæ, vegetæque. At, inquis, variolæ ad morbos acutos pertinent, qui ſemper graviores ſunt in robuſtis, plethoricisque, hinc variolæ in robuſtioribus non poſſunt eſſe faciliores. Sed reſpondeo: nonne & in dentitione adeſt gingivarum inflammatio, & ſæpe febris? & tamen eſt certa obſervatio, faciliorem eam eſſe in prolibus vegetis, robuſtisque, Rationem dare non poſſumus; ſed obſervatio interim eſt certa.

Convulſio a vermibus.

Vidi hodie (15 Febr. 1773.) puellam ruſticanam duorum annorum, quæ ultimo menſe Septembri convulſa eſt, inde totum latus ſiniſtrum ſemiparalyticum, muſculi minus carnoſi, motus partim aboliti, partim tardi. Ante & poſt convulſionem lumbricos excrevit multos. Sæpe colica & diarrhæa laborat; delectatur braſſica fermentata; at ſemine papaveris cum butyro comeſto, dolores queritur, (ſolent Hungari ſemen raparum cum butyro, ſubinde etiam cum melle comedere).

Convulſio a vermibus.

Pestis sine febre.

Pestis sine febre.

Λοιμος ανευ πυρετȣ, observante *Hippocrate*, forte aliud non fuit, quam acutissimus morbus & malignissimus, ubi pulsus primis momentis supprimebatur, & motum febrilem rarefactione subita exorta, suffocatum habebat.

Vomitus chronicus.

Vomitus chronicus.

Vidi rusticum, qui ante duos annos ex levato nimio onere in ventre dolorem percepit. Inde vomere cepit ingesta. Vomitus, ad initium rarior, semper evasit frequentior. Alvus rara per septimanam semel, compactaque, sicut stercora caprina. Si liquida assumat, & pauca quantitate, tunc retinet; at si paulo plus assumat, tunc intra aliquot minuta evomit. In latere dextro, penes & paulo supra umbilicum durities digitorum trium transversorum in omnem dimensionem, ibique dolor. Appetit valde. Emaciatissimus.

De

De petechiis.

Petechiæ venæ ſectione, & potu largo aut præpediuntur, aut præſentes curantur. Dantur plerumque in robuſtiſſimis.

De petechiis.

Sunt primo ſimplex febris acuta, ſeu ob ejus vehementiam fiunt petechiæ, id eſt, maculæ quaſi ex ſugillatione, ruptis ſcilicet, vi circuli ſanguinei, vaſculis.

In hoc caſu nondum adeſt dicta illa malignitas, cum ſola methodus antiphlogiſtica ſufficiat.

Patet ex ſola notione petechiarum, venæ ſectionem iisdem exſtantibus, non tantum *poſſe*, ſed & *debere* fieri.

Patet pariter, male dari camphoram, eique ſimilia.

Petechiæ fiunt morbus malignus ex duplici capite. *Primo*: ſi febris inflammatoria ob ſolam inflammationis vehementiam transeat in gangrænam; in ſubjecto antea bene valente & robuſto. *Secundo*: in ſubjectis præter ætatem & vires corporis acute laborantibus, fiunt malignæ, quia tunc præexiſtens acrimonia humorum ſolis antiphlogiſticis non cedat, transeatque facile in gangrænam.

Occidit duplici modo, vel in ſtatu vehementiſſimæ inflammationis, vel ſuffocatum circulum ſanguinis, vel ob gangrænam.

Introceſſio petechiarum bona, aut mala poteſt eſſe. Si ea ſit virium vitæ ſufflaminatorum affectus, tunc plerumque ſubito recedunt, cum aliis adhuc ſignis malis, tuncque retroceſſio mala eſt; ſi vero ea ſit effectus reſolutæ inflammationis, id quod facile deſumi poteſt ex variis aliis ſignis concomitantibus, ex adhibita, vel neglecta morbi medela &c. tunc ſenſim & pedetentim reſolvitur.

Camphora.

De camphora.

Vis camphoræ eſt ſtimulans, antiſeptica; convenit ergo in ſola vera debilitate. Item in eo caſu, ubi medicus inceptam per ſudores criſin juvare vult. Sæpius a ſenibus practicis audivi commemorari vim camphoræ refrigerantem. Item egregius vir *Roſenſteinius* mixturam ſimplicem refrigerantem eſſe ait. At qua ratione, & quando? graviſſime errant, qui hoc ſcopo camphoram, aut mixturam ſimplicem præſcribunt, uti & legi, & vidi hanc ultimam in pleuritide, illam in acutis fere omnibus, præcipue

pue malignis, intenſiſſimo ſæpe calore ſtipatis, ſæpiſſime præſcribi. Certa eſt vis ipſorum ſtimulans, calefaciens; at ſi perfrigeratio facta ſit, aëre humido, frigidoque ſuppreſſa ſc. transſpirabilis materia, ſi dolor rheumaticus pleuritidem mentiens latus occupet, ſumptis hisce humores vehementius agitari, materiem transſpirabilem ad muſculos rejectam in motum duci, eliminarique; hucusque calores erunt majores aſſumptis hisce medicamentis, ſed eliminata materia alterationes ceſſabant cum caloribus, atque hoc ſenſu medicamenta hæc poſſunt refrigerare. Idem fiet, ſi tempore caloris in paroxysmo intermittentis febris ſumatur; criticus enim prodibit ſudor paroxysmum, & calores terminans. Ad juvandam criſin per ſudores inceptam valere poſſent, ſi diluta dentur.

Acidum in phthiſicis.

Acidum in phthiſicis vomitum facere, vidi in juvene F**; diarrhæam idem facere certum eſt. Hinc eſt, cur ſerum lactis acidum phthiſicis ſæpe non conveniat; hinc etiam ante ſumptionem lactis, vel in eodem, ſa-

Acidum in phthiſicis.

po venetus cum lapidibus cancrorum ſumatur.

De morbo hyſterico & hypochondriaco.

De morbo hyſterico.

Morbus hyſtericus & hypochondriacus eſt idem. Conſiſtit in nimia irritabilitate.

Diverſa ſunt hujus morbi ſymptomata. *Diverſæ* cauſæ excitantes. *Diverſi* effectus.

Hæc eſt ratio, cur *multiplex* ſit curatio; *diverſus* morbi exitus.

Refellitur ſententia ſtatuens, hunc morbum conſiſtere in *debilitate primarum viarum*; item illa, quæ ſtatuit, eum conſiſtere in ſanguine atrabilario.

Sanguis ſpiſſus atrabilarius, debilitas primarum viarum, acrimonia vel acida, vel alcalina &c. ſunt effectus, non autem ipſa morbi natura.

Medela vel cauſas excitantes, v. g. potum ſpirituoſorum, natamque inde ſanguinis rarefactionem, & plethoram, vel ſequelas morbi, v. g. ſpiſſum & atrabilarium ſanguinem, vel humorum quamcunque acrimoniam reſpicere debet.

Sæpe ſequelæ morbi graviores ſunt, quam ipſe morbus per ſe, & peculiarem, imo principem curam requirunt.

In

In ſanguine ſpiſſo attenuantia, in debilitate primarum viarum roborantia, in acrimonia quacunque ignota herbæ vernales recentes. Plethora tollenda, ſpirituoſa evitanda.

Sublata cauſa excitante, ſequelis cutatis, mars, & cortex nimiam irritabilitatem tollunt.

De Helleboro.

De helleboro.

Qua ratione veteres atram bilem curarunt? Reſpondeo: datur quædam materiæ ſpecies, quæ draſticis validisque purgantibus curatur. Quoties ergo antiqui atram bilem ſe curaſſe putabant, curarunt hanc materiæ ſpeciem. Atra bilis antiquorum id ergo non fuit, quod eſt apud nos. Atra bilis enim in ſenſu *Boerhaavii* accepta ſolventibus, attenuantibus, ſaponaceis præcipue, & dein primum lenibus purgantibus curatur. At helleborus draſticus eſt, & certo nocet in noſtra atra bile. Falſa autem eſt eorundem ſententia, qui helleborum ita attemperatum ab antiquis fuiſſe ſcribunt, ut draſtica ipſius vis in eccoproticam, mitem, ſolventemque fuerit mutata; nam ipſe *Hippocrates* ſæpius convulſionum ab helleboro ortarum mentionem facit.

Va-

Variolæ & dentitio.

De variolis & dentitione.

Variolæ & dentitio in corporibus ſanis & robuſtis plerumque faciliores. Vidi hoc ſæpius, quamvis utrobique adſit febris inflammatoria major, minorve. At ſi etiam ſubinde gravius ægrotet hisce morbis, tamen ſi ſani, robuſtique ceteroquin ſint, facilis medela eſt in ſola ſanguinis detractione, & potu refrigerante. Et univerſim febres acutæ in corpore cæterum ſano vegetoque facillime potu refrigerante & venæ ſectione curantur. At iidem morbi in corpore alias debili, valetudinario ſæpiſſime letales ſunt, cum in ejusmodi hominibus ſint contra rationem temperamenti, & validam & extraordinariam cauſam ſupponant.

De febribus intermittentibus.

De f. intermittentibus

Pueri ſæpe difficulter liberantur a febribus intermittentibus, quia ſudorem non promovent, ſed inhibent potius extra lectum exiſtendo. Curantur dato diebus liberis rhei infuſo.

Qui prima vice intermittente laborant præcipue circa autumnum, raro absque cortice curantur.

Qua-

Quare tot intermittentes in Hungaria? 1) habitationes depreſſæ, adeoque humidæ. 2) cubandi ſub dio conſuetudo, aut ſomnus corpore male tecto captus. 3) perfrigeratio frequentior. 4) repletio.

Peſſimæ ſunt illæ intermittentes, quarum paroxysmi ſubſequentes graviores evadunt, & in remittentes abeunt, ut tempore autumnali ſæpe fit.

Venæ ſectio in intermittentibus: 1) in homine plethorico, paroxysmo exiſtente valido. 2) Si acutum ad initium mentiatur. 3) Si dolorem ſimul queratur vel lateris, vel pectoris, vel abdominis &c.

Febris intermittens benignæ indolis, etſi ad initium inordinata ſit, tamen ſubſequentes paroxysmos habebit continuo magis ordinatos magisque, & leniores.

Inter omnia purgantia celerrime operatur ſal amarum.

Intermittens febris ſæpe jungitur acutæ febri, febri catarrhali, pleuritidi.

Claſſes febrifugorum ſunt variæ.

Refrigerantia in calore febrili; ſudorifera in calore ſicco; purgantia & vomitoria tempore intermedio; incidentia, gluten ſolventia tempore pariter libero; roborantia & adſtringentia tempore pariter bono. Calida,

lida, sudorem, urinam moventia, item opiata paulo ante paroxysmum dari debent, ubi homo lecto sese bene involvit, ut ante invasionem caleat, sudet, aut dormiat æger.

Quando intermittentes diu hominem vexarunt, debilitaruntque; item quando die libero sanus vegetusque appetitus, & coctio adest, morbus non debet *tenui* diæta ali; nam sicut venæ sectio, & purgantia repetita tunc nocent, sic etiam nocet diæta tenuis. Scio quartanam cortice & diæta tenuissima frustra per annum tractatam, quæ tamen roborato victu analeptico, ægrotante valde debili, cortici satis cito obaudivit.

Hæmorrhoides.

Hæmorrhoides.

Hæmorrhoides cœcæ faciunt in plethoricis, aut alvo difficili laborantibus tubercula livida, & præcipue in depositione alvi dolentia. Vexantur iis etiam puerperæ. Sunt extra anum, sed sæpe in intestino recto latent, & dolore ac ardore se produnt. Subinde periodice sanguinem rupta fundunt, aut mucum, qui tenesmum facit. Ante fluxum dolor lumborum, ossis sacri, dorsi, colli, syncipitis, colica &c.

Dy-

Dyſenteria facile diſtinguitur ab hæmorrhoidibus fluentibus per hoc, quod dyſenteriam comitetur magnus dolor colicus. 2do. quod dyſenteria eodem loco plures plerumque infeſtet. 3tio. Sanguis dyſentericus cum fœcibus ſæpe intime mixtus eſt.

Fluxus hæmorrhoidum in ictero chronico, hydrope, aliis diuturnis inteſtinorum morbis ſignum malum eſt.

Hæmorrhoides cæcæ, tumentes & dolentes curantur: 1) ſedem facilitantibus, leviſſimis purgantibus, epithemate emolliente ad tubercula, 3) his non juvantibus fieri venæ ſectio debet, darique refrigerantia, 4) hirudines circa locum dolentem.

In hæmorrhoidibus mucoſis ſemel aut bis de die ſumantur rhei grana X.

Si fluentes quis habere cum *levamine* ſoleat, quæ modo tamen ultra tempus conſuetum non fluunt, facile earum fluxus obtinetur aloëticis, venæ ſectione in pede, pediluviis, & admiſſo ad anum vapore aquæ calidæ. His non juvantibus proſunt hirudines.

De puerperis.

Tranſpiratio paulo major in puerperis laudatur, præcipue ſi non lactent.

De puerperis.

Vidi

Vidi fœminam hyſtericotaten alias nil mali prorſus paſſam a lactatione propriæ prolis, imo ita bene ſe habuit, ut nunquam melius, licet proles ob nocturnam inquietudinem ſæpius moleſtas matri noctes fecerit.

Quæ absque ſingulari incommodo prolem geſtare in utero poteſt, quare illa non poſſit eandem lactare? Hæc ſit regula, utrum ob ſic dictam debilitatem lactare mater poſſit, an vero non.

Vomitus cruentus.

Vomitus cruentus.

Vomitus cruentus plerumque a vermibus, vel a retentis menſtruis eſt. Vidi pueros diarrhæa, ſubinde & dyſenteria cruenta laborantes a ſolis vermibus. In hoc ſtatu lac coctum, lacticinia, & cortex peruvianus prodeſt. Lac enim vermes allicit, ne rodant inteſtina. Cortex anthelminticum eſt, & adſtringit.

Curatio pleuritidis.

Laudant multi, *Darelius* præcipue & *Roſenſteinius* ſudorifera, camphorata, ſpiritus volatiles, mixturam ſimplicem in pleuritide. Equidem curatio hæc convenit in illa

pleu-

pleuritidis ſpecie, quæ a materia rheumatica ad latus depoſita, cum nulla, vel exigua febri, provenit. At in inflammatoria pleuritide, quomodo præmiſſa, & quidem prudenter, larga venæ ſectione, iteratque eadem laudari camphorata, ſpiritus volatiles poſſunt? certe pleuritis frequentiſſime eſt inflammatoria. Hoc oſtendit eventus pleuritidis male curatæ, ſcilicet empyema & phthiſis. Oſtendunt idem autores, qui largas venæ ſectiones ſuadent.

Dentitio.

Signa dentitionis ſunt 1) infans digitos frequenter ori immitit, 2) papillas mordet nutricis, 3) ſalivam copioſiorem ore effundit; 4) dolent, tumentque gingivæ, 5) amygdalæ, oculi, maxillæ rubent, tument.

Dentitio.

Lues pecorum.

In lue pecorum hæc obſervantur 1) graſſatur æſtate ſquallida, ſicca, in autumnum vergente, hyeme rigidiore facta minuitur, & demùm ceſſat. Ab aquis putridis luem etiam contrahunt dicto tempore. Incipiunt ægrotare oculis lachrimantibus, triſtibus,

Lues pecorum.

 lin-

lingua ſicca, reſpiratio gravis, ſuſpirioſa, accedente dein tuſſi. Adulto jam morbo diarrhæa accedens letalis eſt. Frater Dom. de F** ſolet pecoribus lue correptis venam ſecare, cum ſumma, & manifeſta utilitate.

Dominus B** in S** narravit, ſe tempore luis pecoribus ſuis dare ſequens medicamentum: ſumit unum cochlear pulveris piperis longi, & novem cochlearia ſalis communis, hæc invicem miſta pecori dantur pro doſi mediante pane. Inde vehementer purgari ſolent, exitque materia fætidiſſima. Vaccæ gravidæ ab hoc medicamento ſæpe abortum patiuntur; hoc remedium, tam in pecoribus jam infectis, quam in non infectis, loco præſervativi & curativi ſibi fuiſſe, cum omnem circum viciniam vaſtaret lues.

Oves in hyeme ſcabie ſæpe laborant; decoquunt tunc opiliones nicotianam cum urina, & oves lavant; inde ſanantur brevi, ſed lanam in vere ſubſequentis anni non acquirunt.

Lues potiſſimum inter oves graſſatur tempore verno, ſi tempore humido, locis paludoſis paſcantur.

Agnelli menſe martii ob frigus ſæpe pereunt.

Mos

Mos tractandi puerperas in Hungaria.

De puerperio.

1) Statim a partu pinguedine ungunt mammas, & fasciis ligant. 2) Abdomini chartam cæruleam pinguedine, & pulvere nucis moschatæ imbutam applicant, & fasciis ligant. 3) Ad abigendas remorantes subinde secundinas, caulium (brassicæ fermentatæ) jusculum cum fimo equino coquunt; hujus fumo insident, simul ore crocum assumunt.

De puerperis.

Domina senior de M** mihi narravit, se semel primo post partum die ungi curasse; inde magnos dolores infimi ventris esse passam. Hinc inunctionem hanc primum 9no post partum die postmodum fieri curasse.

Item ipsa semper lactavit proles suas; repletis nimium mammis horrorem, & subsequentem calorem sensisse. Patet ergo, qua ratione præveniri & curari febris lactea puerperarum possit. Repletas nimium mammas a pueris conductis curavit exsugi. Naturalior modus curandi febrim lactariam non datur, quam quem lactans proles præstat.

Petechia.

In nupera viſitatione noſocomii militaris, pagorumque quorundam, quam circa mèdium Aprilem inſtitueram, vidi *Lietavæ,* ubi ægroti milites per domos ruſticanas diſtributi ſunt, in plerisque his domibus ruſticos cum ægrotantibus militibus eodem cubiculo concluſos, illos fere omnes petechiis laborantes, hos in eodem licet cum petechizantibus loco concluſos a petechiis immunes, & ſimplicibus tantum morbis acutis laborantes. Ratio in prompto eſt. Ruſtici ad unum omnes venæ ſectionem averſabantur, quæ tamen in militibus copioſe adminiſtrabatur. Sequelæ inde manifeſtæ ſunt. Ergo 1) petechiæ non ſunt criticæ, ſed affectus vehementiſſimæ inflammationis 2) ergo in petechiis actu exſtantibus venæ ſectio & fieri poteſt, & debet; 3) ergo camphora inflammans non valet.

Tuſſis infantum.

Tuſſis infantum.

Domina de F** narravit mihi, tres ſibi proles, pinques, cum auribus ſæpe fluentibus, catarrho ſat cito interemptos, unam purgante ſervatam.

Dedi

Dedi ego puerulo ſex annorum tuſſi difficili, reſpiratione & ſtrepente admodum omnis generis pectoralia; at absque levamine; puer mortuus eſt. Audivi poſtmodum a parentibus, a datis pectoralibus, oxymelle & ſtibio diaphoretico non abluto duas, tresve ſubinde ſedes, ſed raro tantum habuiſſe, & tunc illo die ſemper melius habuiſſe. Hinc præplacet mihi methodus illa *Sydenhamiana* in tuſſi infantum a colluvie ſeroſa, mucoſaque, quæ primo venæ ſectione maſſam humorum minuit, dein, ubi ſcilicet ob prægreſſam venæ ſectionem humores tutius moveri poſſunt, leni & repetita catharſi revellit, attenuat, evacuatque. Expectorantia illa moventia certo nocent, materiam altius infigendo. Optimum purgans in hoc caſu præ rheo eſſet manna.

Lues pecorum & ovium.

Lues pecorum.

Hyeme humida, & vere humido tuſſis occupat oves, & pereunt. Patet cauſa hinc, & de remedio conſtat. Facerem primo venæ ſectionem, daremque repetitum purgans poſt venæ ſectionem.

 In

In lue pecorum ſæpe tuſſis adeſt valida, accedente diarrhæa moriuntur. Pejor lues ardente ſyrio. D. de ** cum ſumma & manifeſta utilitate pecori ſic ægrotanti venam ſecat. Ergo non proſunt conſueta calida.

Obſervatio in fœmina proles mortuas ſemper pariente.

De fœmina protes moruas pariente.

Vidi in Th* fœminam robuſtam, quæ ultimo graviditatis ſuæ menſe defectum motus, frigora continua, nauſeam, vomitum, colorem faciei luridum, ſudores nocturnos fœtidos, dolores colicos habet. Quatuor proles emortuas tali modo peperit. Tres habuerunt circa umbilicum maculam nigram. Nunquam fecit venæ ſectionem in graviditate, niſi in hac; eſt autem in ſexto menſe. Faciat adhuc venæ ſectionem. Eſt fœmina ευσαρκος, rubra, ſanguine plena. Fors fœtus morbo acuto, quin præterea mater, aut ea tantum leviter adficeretur, perierunt, & ſanguine matris nimio ſuffocabantur. Suaſi præterea nitroſa.

Pro-

Prolapsus vaginæ.

In prolapſu vaginæ uteri peſſum, & caligas ſuadeo, quibus partim frigus, quod non ſemel partes has ſphacelo afficit, arcetur; partim vero peſſus in prolapſu paulo ampliori, difficulter alias retinendus, ſuo loco firmatur.

Prolapſus vaginæ.

Vomitoria.

Vomituritio in initio febrium acutarum, præcipue inflammatoriarum æque male vomitorio curatur, ac diarrhæa purgante in acutorum primordiis. Quodſi materia non turgeat, vomitus & vomituritio venæ ſectione, eaque repetita tollitur. Sicut diarrhæa ſymptomatica in acutorum initio, ſi primæ viæ non laborent ſaburra quadam, optime pariter per venæ ſectionem curatur. Ratio eſt, quia juxta phraſin *Sydenhamianam* radii inflammatorii ad inteſtina, dicerem ego, etiam ad ventriculum introvertuntur. Patet etiam, quare venæ ſectio in diarrhæis & dyſenteriis ſæpe eximiam opem præſtet, rheo, aliisque id genus fruſtra adhibitis; ſi ſcilicet diarrhæa illa, aut dyſenteria nil aliud ſit, quam febris acuta inflammatoria.

De vomitoriis.

In febribus intermittentibus infantum.

Febris intermittens infantum.

Cataplasma ex abſynth. vino rubro Tokaino factum, ventriculo & abdomini applicatum eadem ſæpe felicitate, ac cataplasma ex cortice peruviano paratum aufert infantibus febrim intermittentem.

Lues pecorum.

Lues pecorum.

Quare lues pecorum in uno loco ſæpe eſt, in proxime diſtante non item? Quare tractus aliquis terrarum infectus ſæpe eſt ſecundum longitudinem, non autem ſecundum latitudinem, & vice verſa? Ratio non eſt ſita in aëre, alias malum per ventum difflaretur, & ſeparatio, & communicatio ſublata inter loca infecta & non infecta non eſſet adeo certum præpediendæ luis remedium. Ergo in locis ſubterraneis mutationes minerarum &c. diverſis in locis diverſæ & diverſis annis diverſimode fieri debent, quæ huic morbo favent.

Pecora octavo & nono potiſſimum die moriebantur. Decubuere fere perpetuo; reſpiratio gravis, ſuſpirioſa, ad ultimum vero furere inceperunt, & in medio furibundo curſu mortua conciderunt.

In-

Inſtituta in multis venæ ſectio eſt, ſed ultimis primum morbi diebus, & absque effectu.

An plures tauri, vel caſtrati, vel vaccæ perierunt? an robuſtiora præ debilioribus? an vituli etiam crepuerunt? cujus potiſſimum ætátis erant, quæ inficiebantur? Vide cuncta hæc in tabella apud Jeſuitas Sághienſes, item in tabellis hac de re confectis in notariatu aſſervatis. Vide ſimul, quo menſe plures ægrotarunt, quo item plures mortui? quæ proportio inter ægrotantes & mortuos, & convaleſcentes? An idem obtinet in lue pecorum, ſicut in morbis hominum epidemicis, ut primo pauciores, ſed vehementius & letalius invadat; dein vero plures, ſed mitius, & minori cum letalitate?

Conſtitutio epidemica.

In conſtitutione variolis ſavente, eæ etiam per hyemem regnant.

Conſtitutio epidemica.

Quando tempore non ſuo morbus aliquis frequentius infeſtat, erit ea conſtitutio ei morbo peculiariter favens.

Maculæ cutaneæ.

Exanthemata.

Maculæ latæ, flavæ, prurientes, quæque in furfures fatiſcunt, deprehenduntur ſæpius in pectore, ſæpe in collo, ſubinde in facie, præcipue vero in fronte; in hominibus ſanis, juvenibus robuſtis, ſero lactis cum naſturtio, aut cherophyllo curari poſſe videntur, dato ſimul omni ſexto die purgante. *Sydenham* aliam methodum, ſcilicet ſudoriferam adhibuit, & obſervavit ex receſſu harum macularum affectionem pectoris, quod ego hucusque obſervare non potui.

De paroxysmo hyſterico.

Morbus hyſtericus.

Vidi fœminam hyſtericotaten, quæ ab omnibus ſpirituoſis, caſtoreo &c. male habet, & ne quidem odorem avenæ toſtæ per modum ſacculi adplicatæ ferre poteſt. In animi deliquiis, paroxysmo hyſterico, vomitu, diarrhæa, frigiditate totius lateris ſiniſtri, borborygmis &c. peſſime habet a ſpiritu C. C. & aliis ſpirituoſis; ſed acetum & aqua ſolummodo juvant.

Si-

Signum vermium a me obſervatum.

Signa vermium.

Obſervari frequenter a verminoſis tumorem ſubito ortum in abdomine, qui ſæpe brevi concidebat, aut ſerpebat, aut alibi oriebatur, aut in plures dividebatur; Vidi tales tumores in fœmina verminoſa oriri, quotiescunque dolores colicos habuit; motum, reptatumque vermium exacte repræſentant. In hac fœmina tumores erant magnitudine pugni, etiam majoris, hemiſphærici. In pueris verminoſis recrudeſcente dolore colico, in loco doloris vidi tumores farciminoſos, reptantes. *Roſenſteinius* obſervavit ſæpe tunc lumbricum. Utilem hanc obſervationem cenſeo, quia in apoplexia infantili, aut convulſione a vermibus orta, in loco tumoris, ſive doloris, ubi ſcilicet vermes rodunt, fœtida, penetrantia, &c. adhiberi poſſunt, ut a rodendo deſiſtant. In illa fœmina vidi palpebras rubras, quaſi inflammatas, & copioſum ſalivæ affluxum, & ſenſum reptatus per pectus & guttur (ſcilicet œſophagum); erat emaciatiſſima, ſæpius aſſumpta vomit. Mortua eſt. Salivæ confluxus frequens.

Con-

Constitutio vernalis anni 1773.

Constitutio vernalis anni 1773.

Menſe Martio & Aprili peripneumoniæ & pleuritides, anginæ; finiente Aprili menſe & Majo tertianæ. Hac tempeſtate verna ſequentem feci obſervationem circa intermittentes febres:

Vidi 1) intermittentes tertianas cum exiguo frigore, calore magno & diuturno, absque dolore locali.

2) Tertianæ paroxysmum cum ſolo dolore majore, aut minore capitis, calore magno, diuturno, dolore lumborum, appetitu proſtrato, lingua alba, etiam extra paroxysmum tali perſiſtente, & humida. Calor hic in paroxysmo eſt cum intercurrentibus leviuſculis horroribus toto paroxysmi tempore. Plenaria in utroque caſu apyrexia, præter aliquam ſubinde laſſitudinem. Subinde manet appetitus proſtratus.

3) Tertianæ, cum vel absque frigore, cum caloribus magnis, diuturnis, & dolore pleuritico, vel oppreſſione pectoris, & vera peripneumonia.

4) Tertianæ quoad frigus, calorem, ſudorem & apyrexiam *apparenter* ordinariæ; his aut ſponte, aut arte recedentibus, poſt paucos dies febres inflammatorias ortae.

5) Ter-

5) Tertianæ ordinariæ methodo ſolvente, diluente, ſalibus, amaricantibus curandæ.

Priores ſpecies vidi in hominibus juvenibus, robuſtis, potui, & nimio motui deditis, inflammatoria diſpoſitione laborantibus. Febris talis aliquoties per ſe ceſſavit, at ſucceſſit verus morbus inflammatorius, pleuritis, peripneumonia. Subinde prægreſſis paucis paroxyſmis, die ſubinde libero, ſubinde die paroxyſmi, orta febris inflammatoria eſt. Quando poſt febrim, ſive ſua ſponte, ſive arte ceſſantem, interjectis paucis diebus, morbus inflammatorius ortus eſt, tunc factis licet venæ ſectionibus tamen non rediit febris intermittens, etſi alias venæ ſectio poſt febrim intermittentem recidivam facere ſoleat. Hinc ſequentia deduxi:

1) Intermittentes facillime cum morbis acutis, aut diſpoſitione inflammatoria conjungi poſſe. Inflammationem aut producit, aut comitatur, aut ab inflammatoria diſpoſitione oritur, ita, ut non obſtante, quæ adeſſe videbatur, apyrexia, morbus non fuerit febris *intermittens*, ſed ſolum *remittens*, & inflammatoria.

2) In

2) In hoc caſu licet, imo debet venæ ſectio fieri, quamvis omnes clament adſtantes, venam in intermittentibus non eſſe ſecandam.

3) Si nulla actualis inflammatio venæ ſectionem poſtulet, dantur tamen varia ſigna, unde cognoſces neceſſitatem venæ ſectionis in tali intermittente vernali; ſunt autem ſequentia:

a) Venæ ſectio jam prægreſſa, in qua ſanguis cum cruſta inflammatoria adparuit.

b) Conſuetudo ſpirituoſa, vinum copioſum bibendi.

c) Ætas morbis acutis obnoxia; homo acutis alias frequentius infeſtatus.

d) Signa plethoræ jam morbum præcedentia. Calores ſæpe ſubito aſcendentes, ſomnus turbatus, inſomnis, vigiliæ, aut nimia ſomnolentia, gravitas & laſſitudo corporis alias robuſti, ſtridor dentium & convulſiones leves in ſomno, ſubinde excitationes.

e) Morbi inflammatorii tunc temporis regnantes, uti plerumque tempore verno regnare ſolent.

f) Prægreſſus exceſſus, qui alias febres acutas, inflammatorias excitare ſolet in aliis.

g) Si paroxysmus non incipiat a frigore, calore, & dein lege ordinaria, ſudore

ter-

terminetur; ſed ſi toto paroxysmi tempore calores cum frigore alternent, totoque tempore ſudore terminentur.

4) Legi quidem sæpius medicorum regulam in venæ ſectione facienda in intermittentibus; ſed ita timide illam ſtatuunt, ut excepta actuali inflammatione, poſtulent hominem ſumme plethoricum, & maximos, ac maxime diuturnos calores. Hanc regulam adhuc timidius medici exequuntur; forte ſat male. Nam ſicut venæ ſectio in homine vere debili adminiſtrata nocet, etiam extra febrim intermittentem, illam vero præſentem altius infigat; ſic in homine apparenter tantum debili, latente diatheſi phlogiſtica, venæ ſectio inſigniter prodeſt, & febris aut mitior fit, aut ſaltem ſecurior, aut (inducta ſcilicet per venæ ſectionem inſigni mutatione) omnino disparet, non amplius redeuns.

5) In primis quatuor ſpeciebus, cortex ante venæ ſectionem exhibitus, nocet, ob vim adſtringentem.

6) Præmiſſa larga venæ ſectione longe tutius cortex exhibetur, imo ſubinde requiritur, ne paroxysmus rediens de novo, commoto ſanguine, in morbum acutum transeat. Quamvis ego nunquam corticem de-

derim

derim poſt venæ ſectionem, ſed ſolum, uti in acutis, methodo antiphlogiſtica uſus fuerim, paroxysmo aut non, aut ſaltim leniter redeunte.

Mater felicius prolem ſuam lactat.

Lactatio infantum.

Vidi infantem dimidii anni maſculum, qui fere toto tempore vitæ habuit fœces virides, ſæpe diarrhæam, & vomitum lactis caſeoſi, attamen nec ulla ab acido hoc incommoda animadvertebantur. Puer ſemper integras noctes dormivit absque clamore ullo, pinguis, robuſtus pro illa ætate, & hilaris. Sed mater propria ipſum lactavit.

Vomitus verminoſorum a paſtu.

Vomitus verminoſorum.

Vidi in fœmina verminoſa aliquot a paſtu horis dolorem abdominis in certo loco tantum, vomitumque & quaſi repletum per œſophagum.

Convulſiones ante eruptionem variolarum.

Convulſiones ante variolarum eruptionem.

Vidi puerum quatuor annorum, qui paroxysmum convulſivum ante eruptionem variolarum paſſus eſt, unde bonæ quidem variolæ,

riolæ, licet copioſiſſimæ, at corpus totum ſemiparalyticum, loquela penitus abolita. Hinc non adeo gaudendum poſt convulſiones ante variolas; etſi enim variolæ ſæpe benignæ ſint, attamen mala ob convulſiones remanent.

Variolæ in lingua citius deſquammatæ.

Vidi in puero benignas, ſed copioſas variolas etiam in lingua, quæ etiam ibi non *retroceſſerunt*, ſed *deſquammabantur*, & quidem longe *citius*, quam in omnibus aliis locis.

Tempus pro inoculatione.

Inoculationis tempus.

Tempus pro inoculatione inſtituenda eligi debet illud, quo benigni maxime & pauciſſimi acuti morbi regnant.

Natura petechiarum.

De petechiis.

Petechias eſſe ſolummodo *vehementiorem inflammationem* patet ex eo

1) quia tempore verno cum morbis inflammatoriis peripneumonia & pleuritide regnant promiſcue.

2) Quia his morbis non, aut methodo calida tractatis *ſuperveniunt* petechiæ, utpote cauſſarum fortius inflammantium effectus correſpondens.

3) Quia in methodo refrigerante ad initium adhibita nunquam adparent.

Tertianæ vernales.

Tertianæ vernales,

Vidi tertianas vernales cum paroxysmo ſat longo poſt quartum paroxysmum ſponte abeuntes. Item tertianas poſt ſeptimum paroxysmum puſtulis oris totius, linguæ &c. judicatas.

Pleuroperipneumonia per modum tertianæ invadens.

Pleuroperipneumonia.

Vidi hoc verno tempore pleuroperipneumoniam omni tertio die absque prægreſſo frigore adorientem cum dolore capitis, lumborum, ſiti, tuſſi &c. primis diebus erat perfecta apyrexia, poſterioribus non item. Factæ ſunt binæ venæ ſectiones; ultima facta erat die ſexto. Die ſeptimo veſiculæ oris & labiorum ſero flavo plenæ morbum judicarunt.

Ob-

Observatio facta in dissectione puellæ recens natæ.

Sectio anatomica infantis.

Fœmina rustica, juvenis & robusta sexta modo vice peperit debito tempore puellam mortuam. Omnes sex proles mortuas peperit. Suasi ei in hac gravidate, ut venæ sectionem instituat, quam bis fecit. Nihilominus puellam enixa est mortuam. Cadaver erat bene constitutum, nisi quod abdomen solito majus esset, & cuticula in utroque brachio inciperet abscedere. Funiculus umbilicalis nodosus ubique fuit, nodis ex carne solida consistentibus. Abdomine disciffo facile semialtera seri sanguinolenti libra excepta fuit. In utroque thoracis cavo, & ni fallor, etiam in pericardio fere libram æquavit serum pariter sanguinolentum. Cetera omnia naturaliter se habeant.

Nota. Fœminam post puerperium denuo interrogabo de sanitate ante conceptionem, num ea integra sit, de qua ab aliquibus dubitari audivi. Item an motus violentos tempore graviditatis faciat, aliaque huc pertinentia.

Vomitus chronicus.

Vomitus chronicus.

Die 27. Junii anni 1773 convenit me rusticus sequentia narrans: Se semper integra usum valetudine fuisse. Binis solum vicibus febres habuisse faciles admodum, nec diuturnas, sponte ne, an adhibito aliquo remedio abierint, per oblivionem non interrogavi. Ante tres annos pauxillum carnis suillæ fumatæ cum cremato sumsisse, crematum brevi post, non autem carnem comestam vomitu rejecisse. Inde frequenter vomitum rediisse, sed solum a pastu, comestaque solum reddidisse. Vomitum sequi mox a comestione, imo sub ipsa sæpe comestione. Vomitum primis duobus annis minus fuisse frequentem, hoc autem anno quotidianum. Jejuno stomacho nullum vomitum, eructiones nullas, incommodum nullum adesse. Appetere se quidem cibos vehementer. Præter corporis lassitudinem nil aliud adesse. Noctu utprimum decumbit, tussis ipsum infestat adeo, ut dormire non possit. Mirabar hominem & inedia & somni defectu tentatum hucusque satis tamen esse corpulentum, & pro rerum statu etiam robustum. Ajebat, se dolorem, sive potius ardorem sentire, ad scrobiculum sterni, ut primum aliquid

quid deglutit. Dixit ſe omnia & exigua doſi aſſumpta rejicere, attamen cum hominem integro die nocteque retinerem, daremque alimenta, animadverti, eum liquida, & ſolida, hæc & illa, majori paullo quantitate aſſumpta evomere, prandium paulo largius ſumptum mox evomuit, cœnam diutius, ni fallor poſt horam ſemialteram aut etiam duas retinuit. Tandem evomuit. Totum abdominis ſiniſtri latus durum valde eſt, doletque per attactum, & notabiliter exſtat ſupra latus dextrum abdominis. Durities ad ſcrobiculum nulla, & in ventriculi regione ſuperiori aut nulla, aut exigua, attamen dolor ibidem eſt, ſi manu parumper premas.

Formari modo queunt plures quæſtiones, unde vomitus? fors a *mole* lienis prætumidi inteſtina & ventriculum comprimentis. Fors a *pondere* ejusdem lienis ventriculum deorſum trahentis, vellicantisque, ſed quare tunc ſolum repleto ventriculo vomitus? Quare lien prætumidum ſæpius obſervatur absque vomitu. Fors & aliæ partes vicinæ tument, & ventriculum premunt. Fors vitium etiam in ipſo ventriculo, ſicut nuper in cadavere ruſtici vidi, qui fere per annum a paſtu vomuit. Vomuit is primo rarius, frequentius poſtmodum. Molliora

aut liquida non vomuit. Poſtmodum vero & liquida & parce aſſumpta vomuit ex aequo. Senſit pondus ad epigaſtrium continuo. Caluit ſæpius, vomitu quadrantem circiter ab aſſumptis cibis. Per duos menſes nullam prorſus ſedem habuit. Emaciatiſſimus ad ultimum ſolummodo pauxillum vini retinuit, pedes tumebant. Per tres ante mortem dies ſedem habuit liberam. Ultimis diebus dixit ſe ſenſiſſe *dolorem* in loco illo ubi alias pondus adparuit. Inveni in cadavere ventriculum ſcirrhoſum in pluribus locis, & pylorum proximamque ventriculi partem ad quatuor tranverſos digitos cartilaginea. Patuit ſtylo tranſitus per pylorum. Erat autem iſte, cujus cadaver ſecui, emaciatiſſimus, cum prior vires haberet adhuc ſat robuſtas, licet, ut ait, multum prioribus minores, corpus non emaciatum, facies, genæ & hypopia praecipue tumebant inſigniter, quod a vomitu frequenti ſibi provenire ait. Color faciei ſanus. Cadaver ruſtici in quo partem ventriculi cartilagineam inveni, incidi 18 Maij 1773, ſed etiam tertium vidi ruſticum vomitu chronico laborantem, quem deſcripſi in prioribus pagellis; circa initium Julii anni 1773 in F** mortuus

tuus

tuus eſt, quem utut voluiſſem, negotiis diſtractus incidere non potui.

Dolor capitis ab inſolatione.

Inſolatio.

Dolor capitis ab inſolatione ceſſat, ſi ſyncipiti, fronti & temporibus oxycratinum, aut acetum ſimplex aut roſaceum &c. adplicetur, & æger ſe in locum frigidiusculum ſe conferat. *Riverius.* Caveat tamen, ne ab æſtu corporis in locum frigidum ſe conferat.

Febris hectica.

F. hectica.

Febris hectica calorem facit in hypochondriis primo tactu mitem, poſtea acrem mordacem, & aridum. In urina hecticorum oleoſa ſupernatant, & ſedimenta farinacea deponuntur. *Galenus* phthiſicos ad Fabios montes, Veſuvium dictum, mittebat, ubi aër erat ſiccior. Motus corporis in febre hectica, notante *Riverio*, non convenit.

Purgatio in febribus putridis continuis, aliaque de acutis.

Purgantium ufus in febribus putridis.

Inclinante febre, fignis concoctionis apparentibus, purgatio leniffima inftitui debet ex manna, tamarindis. At nota, vitari debere dies criticos. An vero non turbatur natura exhibito purgante? Refp. (crifin alias per fudores & per urinam faciendam non turbari, cum hæc crifes plerumque ex parte prægreffæ jam funt. Sed cum crifes hæ partiales plerumque fint, & totam morbi materiam unica crifi natura non eliminet, bonum erit hanc materiam poft has crifes diebus non criticis, jam paratam alvo educere, præcipue cum & materia fudoris & urina alvus educi poffit, non autem vice verfa.

Quod fi autem febris protrahatur, purgatio erit identidem repetenda, interjectis præparantibus & concoquentibus. Alioquin periculum erit recidivæ, fi ante integram febris folutionem medicus a purgatione ceffet, ob reftitantis materiæ reliquias. At reftrictio facienda, fi enim poft repetitas purgationes febris permanferit & lenta evaferit id non a reliquiis materiæ fed a debilitatis vifceribus ortum trahit, tuncque nocent

eva-

evacuationes, ſola victus ratio reſtaurare poterit vires. (Huc pertinet, dignoſcere pulſum *vere febrilem* a pulſu *ſolum debili*, qui poſt acutos graves & criſi jam facta ob *ſuam frequentiam* pulſum febrilem mentitur. Vide ea quæ de pulſu *febrili* & *debili* dignoſcendo dixi).

Febris lenta puerorum ab obſtructionibus orta.

Febris lenta pueror.

Si ſit febris lenta ab obſtructionibus orta, qualis ſæpe in pueris datur, frequens purgatio, per epicraſin data ex ſolventibus, incidentibus, roborantibus concinnata inſigniter prodeſt. Vide *Montanum* Conſ, 10. de febribus, qui drachmam rhei linteo involutam infudit in aquæ endiviæ libr. 1. facta poſtmodum expreſſione exhibuit pueri ſingulis diebus circa auroram unicas quatuor. Dedit *Riverius* pro potu communi bochetum rhabarbari pueris febri lenta ex obſtructione laborantibus, eſt autem ſequens: ℞. Rhei dr. β. vel dr. j. prout odorem pueri facilius, aut difficilius ferunt, nodulo incluſum in aquæ frigidæ libr. j—ij &c. frigide per diem. Utatur per menſem & diutius. Si febris ſit valde remiſſa, & corpus

pituitoſum, aliquid vini poteſt addi ad ingratum rhei ſaporem corrigendum.

Si criſis in acutis per hæmorrhagiam, aut ſudorem fiat, ſemper poſt talem criſin purgatio danda, ad expellendas videlicet reliquias, cum *ſola* criſis per alvum ſecura ſit, Sic recidivæ aut alterius cujusdam morbi occaſio præſcinditur.

Alvi fluxus *criticus* ſi ſit, non tollendus, neque *ſymtomaticus*, ſi is ad initium contingat, & vires non dejiciat.

Febris intermittentes.

Febres intermitens. Febres acutiſſimas & pernicioſas rariſſime fieri absque viſcer's alicujus interna affectione, & plerumque inflammatione, ait *Riverius* prax. med. L. XVII. c. II.

Tertianas perfecte intermittentes tamen pernicioſas ſubinde eſſe & peſtilentes, ait *Riverius* l. c. judicari labiorum, narium, oris puſtulis, item concocta jam materia ſoluta alvo, quæ criſis tunc perfecta eſt. Phlebotomia intermittentibus olim frequens ſatis fuit. Vide *River.* l. c. cap. III. ſi factis purgationibus redeat febris, danda ſolventia ſunt.

Ter-

Tertiana pertinax.

Qui ſicco & ſquallido corporis habitu ſunt præditi, & omnino bilioſi, citra tenſionem viſcerum, & citra humorum copiam, calidiori præſertim anni tempore per tres aut quatuor menſes tertiana laborant; his valida purgantia, aperientia, & calefacientia nocent, humectantia vero, refrigerantia, balnea citra ſudoris profuſionem inſigniter proſunt. Antifebrilia multa antiquorum vide *River*. l. c. cap. III.

Quotidiana.

Quotidianam *Riverius* adeo raram eſſe dicit, ut inter ſexcentos ægros, qui quotidie paroxysmum habent, vix unus quotidiana laboret vera. Quotidianam *Hippocrates* 3 epid. Sect. 5. text. 64 dividit in diurnam & nocturnam. Primam ait eſſe periculoſior, habet enim longiores acceſſiones, & cibum ægro interdiu afferre prohibet.

Quartana.

Dolor, qui tempore rigoris in paroxysmo quartanæ percipitur, eſt οςεοκοπος

ſci-

ſcilicet oſſa quaſi diffringi videntur. Si ſit triplex quartana, raro talis evadit, niſi prius fuerit ſimplex; etiam ex hoc dignoſci poterit quartana triplicata a quotidiana. Senes, qui ultra ſexageſimum annum ſunt, quartana affecti, plerumque moriuntur. Quartanæ in continuam mutata plerumque lethalis eſt. A nimio calidorum uſu quartana duplicatur, triplicatur & demum in continuam abit.

Dyſenteria quartanæ ſuperveniens, ſi diuturna non ſit, ſalutaris eſt! Aphor. 48. S. 6.

Quartana epilepſiam ſolvit.

Quartana ſuperveniens epilepſiam ſolvit. Aphor. 79. ſect. 5.

De neceſſitate venam non raro in quartana ſecandi vide *Lazar Riverii* prax. med. L. XVII. Cap. V. Venæ ſectio paulo ante paroxysmum ſubinde febrim curavit; vide loc. cit.

Qnartanam curat hæmorrhoidum fluxus aut ſponte proveniens, aut prorritandus affixis hirudinibus, ſi ani pruritus, aut gutta una alterave ſanguinis per anum naturæ niſum oſtendat.

Fœminis ſuppreſſione menſium laborantibus, ſi ſimul quartanam habeant, malleoli vena ſecta febrim tollit.

In-

Inclinante luna duabus horis ante acceſſionem ſecta vena, idque per tres vices, tribus conſequenter acceſſionibus, febrim quartanam ſuſtulit theriacæ dr. j. cum vino exhibita; materia febrilis; necdum cocta, quartanam ſæpe duplicavit, triplicavit.

Tepidum balneum ſiccis in quartana die intermiſſionis ſæpe profuit.

Tertiana intermittens cum quotidiana continua *hæmitritæum* facit; hæcque frequentior eſt, & proprie *hemitritacus* vocatur. Eſt & alia *hemitritæi* ſpecies, ex quotidiana intermittente & tertiana continua. Rarior hæc eſt, de prima ſpecie vide Hippocratem & Galenum in I. epid.

De febre peſtilentiali & maligna &c.

Malignam febrim illam appellant, quæ vulgo *purpurata* id eſt *petechialis* audit. *Maligna* etiam illa eſt, quæ licet epidemica ſit & contagioſa, plures tamen illa affecti ſervantur quam pereant.

Febris maligna.

Quomodo febris peſtilentialis ex effectu dignoſci queat.

At ſi plures pereant, quam ſerventur, jam non maligna, ſed *febris peſtilentialis*, aut

aut, quod idem eſt, *ipſa peſtis* nominatur. Maligna febris, notante *Riverio*, gradu ſolum ab ipſa peſte differt. Hinc habetur etiam methodus curandi peſtem, quæ ſcilicet eadem eſt cum methodo curandi febres malignas. Dicit *Riverius*, febrim peſtilentem ab ipſa peſte differre ſolummodo, ut differt ſpecies a genere.

Febris peſtilentialis nomine comprehendit *Riverius* omnes *febres pernicioſas*, *ſcilicet omnes illas*,

1) *in quibus plures pereunt, quam ſanantur*, &

2) *quæ epidemicæ & contagioſæ ſunt.* Uti ſunt ſubinde quædam *ſynochi: tertianæ*, *quartanæ*, *quotidianæ*, vel *continuæ*, vel *intermittentes.*

Dicit *Riverius* l. c. cap. I. de febre peſtilenti: ſingulis fere annis in ægro Monſpelienſi eſſe febres intermittentes tertianas, quæ ſummæ malignitatis ſunt participes, ita ut tertia, vel quarta acceſſione letales evadant.

Species alia febris malignæ, vel peſtilentis peti debet a *ſævitia ſymptomatum*, & iterum *alia* ſpecies eſt, in qua ſymptomata *apparenter mitia* ſunt pleraque, attamen nihilominus æger ad mortem ducitur.

Om-

Omnia ſymptomata aliis febribus benignioribus ſunt communia, licet minus intenſa tunc ſint, attamen unicum, ait *Riverius* l. c., eſſe ſymptoma febri peſtilenti proprium, quod nunquam apparet, niſi febris vere peſtilens ſit, etſi ex abſentia hujus ſymptomatis non poſſit concludi, febrim idcirco non eſſe peſtilentialem, ſcilicet *petechiæ*.

Differunt *exanthemata* ab *Hippocrate* notata in epidem. a petechiis, etſi & illa febrim peſtilentem non raro comitentur. Nam juxta [b] *Hippocr.* exanthemata eminentiam habent, & ſunt de genere tumorum, qui quandoque ad ſuppurationem, vel exulcerationem deveniunt. Petechiæ *Antiquis* incognitæ fuerunt, poſterioribus tantum ſeculis a recentioribus deſcriptæ.

Febri peſtilentiali junguntur alii exitiales morbi, ſcilicet phrenitides, anginæ, pleuritides, peripneumoniæ, hepatitides, dyſenteriæ &c., præprimis vero *carbunculus* & *bubo*.

Apparet venæ ſectionis neceſſitas ex eo in febre peſtilentiali:

1) Quia gradu tantum differt a malignis, malignæ a ſimplioibus acutis febribus

& be-

& benignis, ubi tamen venæ ſectio fieri debet.

2) Quia perniciosiſſimæ inflammationes, ut ſupra dictum, febri peſtilentiali junguntur, hinc vena ſecari debet, ut talis inflammatio aut præpediatur, ſi abſit, aut, ſi jam adſit, tollatur.

Conſtitutio auſtrina apud *Hippocratem* in epidemiis fuit cauſa omnium febrium peſtilentialium, quæ ibi deſcribuntur.

Conſtitutione ſubinde minime epidemica, nullo morbo populariter graſſante, ſunt, qui ob pravam humorum conditionem in febrim incidunt, quæ multis febrium malignarum & peſtilentialium ſymptomatibus imo & petechiis ſtipatæ ſunt.

Hippocrates 2 epid. ſect. 1. ait, *morbum & tempus ſibi invicem correſpondere, niſi quid in ſuperiori natura innovetur.* Illud in ſuperiori natura innovatum eſt illud *divinum in morbis*, quod agnovit *Hippocrates*, quod a cauſſis nos latentibus præter anni, ejusque apparentium conditionum rationem producitur.

Ad febrim peſtilentem diſponunt, prava victus ratio, & inde nata *cacochymia*. Hinc in annonæ caritate, hinc etiam & ob hanc, & ob aliam cauſſam in caſtris, in urbibus ob-

obſeſſis hæc febris graſſatur. Patet etiam, fruſtraneam eſſe fore omnem medelam in febre populariter ita graſſante, niſi omnibus modis annonæ caritati provideatur.

2) *Plethora*, & hac præſente diætæ peccata ex repletione.

3) Animi pathemata, venus immodica.

De variolis.

De variolis.

Anno 1772 in æſtate variolæ multæ in *Egek*, *Horwath*, *Sagh*. Pauci in ipſis variolis mortui ſunt, erant potiſſimum boni moris. At poſt variolas emaciabantur, tuſſitabant, & tabe perierunt plurimi. Ruſtici ipſi mirabantur, tot proles catarrho, ut ajebant, poſt variolas invadente, perire. Aliqui ſtatim a variolis ſat belle ſe habuerunt, & primum poſt aliquot ſeptimanas tuſſi corripiebantur, alii ſtatim a variolis hoc morbo affligebantur. A decubitu puris reſidui in pulmones facto id accediſſe dubium non eſt. Cur vero hoc imprimis anno pulmones præcipue afficerentur, utrum huic puris ad pulmones derivationi tempeſtas (quæ qualis tunc fuerit, non amplius recordor) præ ceteris faverit, dicere non poſſum. Vidi emaciationem, ſudores nocturnos, tumorem ge-

næ dextræ ſæpius recurrentem ex neglecta purgatione poſt variolas.

Plures vidi proles oculis utroque, aut alterutro captas, de quibus conſtitit examinanti, id *poſt variolas* aliquo jam elapſo ab iis tempore accidiſſe. Patet inde neceſſitas purgationis poſt variolas.

Dentes primi poſt annum.

Dentitio.

Vidi nobilem fœminam, cujus omnes proles & a priori, & a ſecundo marito ſuſceptæ primos dentes, primum exacto integro ætatis anno adquirunt, cum tamen prima dentitio ſeptimo plerumque menſe fiat.

Abortus indicia.

Abortus indicia.

Tertio graviditatis menſe frigora ſentiunt cum caloribus alternantia, adſunt reliqua *plethoræ & inflammatoriæ diſpoſitionis* indicia. Laſſitudo præprimis & lumborum dolor. Toto hoc tempore in delicatioris habitus fœminis ſtillat ex utero ſanguis. In robuſtioribus fœminis ſtillicidium hoc prævium raro reperitur. Accedente, quacunque ex occaſione, majori corporis motu, præcipue repentino, geſtatione, elevatione pon-

ponderis &c., ortoque repente majori frigore & calore fit abortus. Ante abortum, ſtillante jam ex utero ſanguine, venæ ſectio in brachio & quies in aliqua domina juvit. Facto abortu quies ſumma & cura puerperarum adhibenda eſt.

De venæ ſectione in gravidis.

Venæ ſectio in gravidis.

Scimus *Hippocratis*, aliorumque quorundam ſententiam circa venæ ſectionem in gravidis. Non dubito de horum aſſerto, quin imo videmus, ruſticas Hungaras rariſſime venæ ſectionem celebrare in graviditate, rariſſimeque abortiri. At vero fœminæ nobiles deſidiæ & diætæ lautæ ſe dedicant, plusque ſanguinis, quam quo indigent, conficiunt, indeque neceſſitas venæ ſectionis & periculum abortus hac neglecta. In ruſtica fœmina inter copiam humorum, quæ ob cibos pauciores & minus nutrientes, minus etiam ſanguinis conficit, inter corporis exercitium, quo multum pariter, humorum difflatur, juſta proportio intercedit. Tempore *Hippocratis* vita hæc noſtra delicata rarior fuit longe.

De inoculatione variolarum.

Inoculatio variolarum.

Certum videtur, eas proles, quæ ex inoculatis variolis pereunt, perituras etiam fuiſſe ex variolis naturalibus. Pauciores autem ex illis, quam ex his morituras, cum & anni tempus, & benigna conſtitutio, & corporis præparatio in arbitrio medici ſit poſita. Quasdam autem mori, licet ſaniſſimas antea, culpa nec in anni conſtitutionem, nec in aliud quid conjicienda, niſi in humores corporis licet ſanos, facilius tamen, neſcio, qua ex diatheſi, in deleteriam indolem ex ſuſcepto variolarum veneno mutabiles, certum videtur. Nec aliam aſſignare cauſſam poſſum in puella aliqua.

Variæ animadverſiones.

Variæ animadverſiones.

Franciſcanus quidam mihi narravit, Ordinis ſui homines Temeswarinum rigida hyeme mitti, ſicque facilius ferre factam loci mutationem, alia autem tempore miſſos morbis acutis periclitari, vel diuturnis intermittentibus, vel dyſenteria vexari; locus autem ſummopere paludoſus eſt.

Nar-

Narravit mihi quidam dominus, ſe magnam pulmentorum & panis quantitatem devoraſſe tempore paroysmi in quartana, qua per 3/4 anni conflictabatur. Etiam ab aliis audivi, ſe inſolitam famen in quartanæ paroxysmo habuiſſe.

Poſt morbum meum acutum nimiis per venæ ſectionem evacuationibus curatum, ſequentia ſymptomata paſſus ſum:

Vigiliæ erant continuæ, ita ut ægre per horam, atque id interruptim dormiverit. Doloris omnis abſentia ſtatim poſt morbum.

Aſſumpto potu frigidiuſculo urina mox excernebatur limpida, aquoſa penitus, frequens, copioſa, cum antecedente ſenſu quaſi globorum ab abdominis ſuperiori parte deorſum verſus renes decurrentium.

Inſignis animi dejectio, deque recuperanda ſanitate deſperatio. Mens mobiliſſima ad indignationem & iram ob leviſſimam cauſſam, ita, ut memet ipſe ſæpe miratus fuerim. Terrores ſubiti, caloresque ſubito aſcendentes, cum ſudore per totum corpus erumpente, ac ſi quis me aqua calida ſubito perfudiſſet & inopinato, ita terror, calores

 & ſu-

& ſudores in momento quaſi ſe ſubſequebatur, ſæpiſſime per diem: idque tunc potiſſimum, quando cogitatio quædam de ſanitate recuperanda inopinatum animum perculit, quod ſæpiſſime per diem contigit. Pulſus etiam in quiete valde celer, in motu corporis etiam levi celerrimus, cum palpitatione cordis. Decumbens noctu, pulſum in thorace cordis auribus facile percepi, ſudores nocturni copioſiſſimi, appetitus vegetus. Sumpto cortice peruviano per longum tempus quotidie ad unc. β ſudores ceſſarunt. Aliquoties me ſanum exiſtimans corticem intermiſi, at tertio, quartove poſt intermiſſum corticem die ſudores nocturni redierunt. Poſt duos fere a morbo acuto menſes dolorem habui in capitis parte capillata, ut contra capillorum ordinem manu caput fricare ob dolorem non potuerim, dolor ſubinde hypochondrii ſiniſtri ad attactum major. Dolor muſculorum intercoſtalium ſubinde ad attactum major. Demum incepi acido laborare. Omnium tamen minime pinguia, cremorem præcipue lactis ferre potui. Vidi ſtudioſum medicinæ, qui acuto morbo tentatus nimias venæ ſectiones ſibi fecit, dejecto animo ſummopere poſtmodum

dum laborantem, & urinas limpidiſſimas & copioſas excernentem.

Notæ.

1) Pulſus celer, calores ſubiti ſæpius debilitatem & defectum ſanguinis, quam ejus copiam, aut orgasmum arguunt. Ergo peſſime quivis pulſus celer venæ ſectione tentatur. Debiles, chloroticæ hoc vitio laborant.

2) Morbi indoles probe diſtingui debet, utrum venæ ſectionem poſtulet, & quousque iterandam. Majorem & frequentiorem poſtulant morbi *inflammatorii.* Febres acutæ reliquæ, putridæ, bilioſæ aut *nullam*, aut ſaltem *minorem* ſanguinis detractionem admittunt.

3) Morbi nervorum nimis mobilium cum defectu ſanguinis conjuncti ſunt ſæpe. Curantur nutrientibus, roborantibus. Attamen vidi fœminas *mobiles admodum*, otio & pleniore paſtu certe *plethoricas.* Hinc in nervorum morbis ſedulo inquirendum, an *defectus*, an vero *copia* humorum peccet. Cum utraque enim conjungi morbi nervorum ſolent.

4) Frequentior uſus venæ ſectionis in vere, quam autumno, quia in illo pariter morbi inflammatorii frequentiores, quam in hoc.

De hæmoptiſi.

Hæmoptiſis.

In hæmoptiſi ſedulo inquirendum, an adſit diſpoſitio phlogiſtica ſanguinis. Novi ego duos hæmoptoicos tali corporis figura præditos, qualem huic morbo imprimis favore auctores ſcribunt. Unus horum potui, vehementioribus commotionibus admodum deditus fuit, alter vero moderate vixit. Hic ultimus præſenſit futurum ſanguinis ſputum ex ardore pectoris, punctorio dolore inter ſcapulas, & quodam quaſi regurgitantis a lienis regione ad pectus ſanguinis ſenſu. Hæmorrhoidibus etiam laboravit ſæpe fluentibus, aut quas appoſitis hirudinibus evacuavit. Facta venæ ſectione prævertere ſputum potuit. Sanguis tunc cum cruſta inflammatoria.

Sputum ſanguinis quaſi *levior quædam pleuritis*, *aut peripneumonia*, *aut pleuroperipneumonia* præcedere ſolebat, & ab alia peripneumonia ſolum in eo differt:

1) Quod

1) Quod levior ſit & admodum mitis inflammatio pulmonis.

2) Sanguinis vero ſputum ad initium copioſius, quam alias eſſe ſoleat in peripneumonia, ubi ſæpe nullum, ſæpe exiguum ſputum ſanguinis deprehenditur.

In ejusmodi ergo hominibus

1) conſideranda eſt facilis & fere perpetua diſpoſitio ſanguinis *phlogiſtica*.

2) Pulmo debilior, qui aggeſtum ſanguinem retinere non valet. Adeoque quoad methodum curandi ſequentia erunt obſervanda:

1) In ipſo actuali ſanguinis ſputo adſtringentia non valent, uti ſunt pulveres ex ſanguine draconis, ſucco catechu &c., nec valet cortex, nec lac, nec balſama adſtringentia. Sed cura omni modo antiphlogiſtica, & cautela ab omnibus iis, quæ ſanguinis ebullitionem, rarefactionem, & ad pulmones aggeſtionem efficere poſſunt, uti ſunt potus valde calidi, balnea calida, aër calidus &c.

Extra ſputum ſanguinis, id eſt, curata hac leviori peripneumonia nocent ſemper balſama, adſtringentia, cortex aut nocet, ſi ſolus detur, aut certe non prodeſt. Lac nocet, aut non prodeſt. Nocent univerſim

omnia, quæ diſpoſitioni ſanguinis inflammatoriæ favent. Profunt contraria, uti ſerum lactis, victus acescens, vegetabilis, ex farinaceis fermentatis potius, quam carnibus. His diu prius adhibitis fors cortex proderit. Attamen adhucdum incerta res eſt, quia etſi roboret, tamen adſtringendo totum corpus, diſpoſitioni inflammatoriæ non reſiſtit, ſed favet potius. Suaderem potius fumos medicatos, roborantes pulmonibus exceptos, qui caute & ſenſim admitti poſſent, agerent enim immediate in pulnones, & vaſculorum extremitates magis firmarent. Solent quidem juvenes robuſti, plethorici ſanguinis fluxui per nares certis temporibus obnoxii eſſe item fœminæ juvenes plethoricæ ſunt ſæpe circa quartum menſem abortui obnoxiæ, præcedunt comitanturque ſigna morbi *cujusdam inflammatorii levioris*: adeſt diſpoſitio phlogiſtica ſanguinis, & topica forte vasculorum in utero aut in naribus debilitas. Intra & extra fluxum ſanguinis eadem curatio quæ in hæmopticis.

At datur ſputum ſanguinis ex ſpasmis vaſcula pulmonis comprimentibus, meatum ſanguinis prohibentibus, eundemque in tracheam exprimentibus oriri ſolitum. Tale fuit illud in puella quadam ortum, tale in

fœmi-

fœminis debilibus & hyſtericis obſervatur, talis itidem ſanguinis excretio per uterum potiſſimum, gravidum aut etiam non gravidum, poſt partum ſubinde ab irritatione dolorifica retentarum ſecundinarum. Hic ſanguinis fluxus antiſpasmodicis ſiſtitur; cortice vero & chalybe aliisque roborantibus præcavetur. Nocet plerumque venæ ſectio in corporibus videlicet potiſſimum debilibus.

Uſus aluminis antiſepticus & antidyſentericus.

De aluminis uſu in dyſenteri.

De vi antiſeptica aluminis vide *Caſſim. medicus* l. III. p. 228 in diarrhœa aut potius dyſenteria ruſtici Hungari paſſim alumen *adhibent.*

Dari febres nulla corticis doſi domandas, *Sydenhamus* aliisque dudum annotarunt. Vidi virum Jeſuitam qui autumno anni 1772 usque ad tempus vernum ſequentis anni quartana laboravit. Magna corticis quantitas aut inefficax plane fuit, aut ad exiguum tempus paroxysmum mitigavit potius, quam extinxit. Color faciei pallide nigricans & flaveſcens, hypochondria dura. In hoc caſu datis antea ſolventibus cortex ſuam operam præſtitiſſet. Laudant in febri adeo rebelli ſul-

phur

phur auratum antimonii tertiæ præcipitationis, ſed cum modo vomitum, modo diarrhœam, modo ſudorem excitet, patet, eundem medicaminis digerentis, ſolventis, alterantis & evacuantium vicem ſubire, atque præ aliis digeſtivis peculiare nil habere, niſi quod minori copia vices ſuas exſerat. *Caſim. Medicus* ita præſcripſit.

℞. Sulphur antimonii aurat
3tiæ præcipitat.
Extracti centaur āā gr. vj.

M. f. pilul. no. III. Sumat unam hora ante paroxysmum, alteram ad initium paroxysmi, tertiam ad initium caloris.

Idem fiat in proximo paroxysmo; ſubinde febris adeo rebellis emanet, ſæpius vero paroxysmi ita mitigantur, ut exiguas corticis doſis deinde ſufficiat. Sed etiam hoc remedium ſæpe ſpem medicantis fallit. Sal amoniacum in tali pertinaci febri optimum habitum ſemper eſt. *Caſimir Medicus* dedit mane & ad meridiem dr. j. ſalis ammoniaci & veſperi dr. j. corticis.

Alii præmiſſo vomitorio dant ſalem amoniac. in aqua tepida, præprimis vero ante paroxysmum, ut non tantum digerant, ſed & confundant paroxysmum.

Pul-

Pulveres digeſtivi optimi fiunt ex ſale ammoniaco & tartaro vitriolato.

Febres millioſæ cum exanthematibus.

Tiſſotus in epidemia Lauſanenſi tres obſervavit caſus, ubi materia bilioſa ad cutem delata vehementiſſimam induxit febrem, & ſpeciem eryſipelatoſæ eruptionis, pectus, collum, brachia, femora cum ſumno pruritu imo & fauces cum levi angina occupantis & demum exulcerantis; nil profuit niſi alvi ductio repetita, & acida medela.

Febres bilioſæ.

Amiſſio ſubitanea lactis.

Sæpe audivi querimonias fœminarum de ſubita amiſſione lactis. Cauſſam exiſtimo hanc, quod ex quacunque cauſa humores ad uterum ruant, ibique lac cum ſanguine efferatur, uti ſubinde in puerperis contingit. Fundatur hœc opinio in eo, quod nimia menſtrua adpoſita ad mammas cucubitula cohibeantur Hippocr. Sect. V. Aph. 52 item S. v. 53 ubi aborturientibus mammæ ſubito flacceſcunt, humoribus ſcilicet ad uterum ruentibus. Hinc in hoc caſu pariter proderit cucurbitulas ad mammas adponere. Item Soct. V. Aph. 37.

Lactis amiſſio.

De

De morbis gaſtricis.

Morbi gastrici.

Hippocr. Sect. 1 Aph. 18 ait; æſtate & autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime, deinde vere. Hinc, uti ex multiplici obſervatione conſtat, morbi ſyſtematis gaſtrici æſtate & autumno frequentiſſimi ſunt, ut febris intermittens cum vomitu, cholera &c. morbi billoſi omnis generis. Febres putridæ, malignæ &c. hinc frequentius *vomitorio* opus in morbis æſtatis & autumni, quam venæ ſectio; in vere autem ſæpius venæ ſectio quam vomitorium.

Repletio ſtomachi æſtate & autumno ſemper mala, at illa ex cibis facile putreſcentibus etiam periculoſa eſt. Vinum meracum in autumno & æſtatis fine difficillime tuli &c.

Sydenhamus febres autumnales alterius ſpeciei videtur deſcripſiſſe. Frequentius ille uſus eſt cortice, quam in hiſce autumnalibus (1773) ego uti potuerim. Quartanæ ab ipſo deſcriptæ, eadem tamen cum noſtris fuiſſe apparet, & ubique locorum ejusdem indolis videntur eſſe, pertinacis videlicet; & ad omnia alia remedia, præterquam corticem, rebelles.

Re-

Recidivæ reconvalescentium.

Quæ caussa recividarum? Resp. De recidiv.

1) Remanens materia febrilis

2) Continuatio caussarum morbi, sive perstans epidemia.

Reconvalescentium incommoda sunt

1) Frequentiores insultus morbi quasi redituri.

2) Status valedutinarius diuturnus, qui sola anni mutatione & epidemiæ cessat.

3) Pollutiones nocturnæ, unde valde debilitantur.

4) Sudor nocturnus odoris accerrimi vexat eos, qui ex morbo bilioso reconvalescunt, qui quidem bonus, & materiam morbi profligat.

Caffee.

Caffee nocet biliosis, ex morbo bilioso reconvalescentibus, vini potatoribus, calidis, diathesi phlogistica laborantibus. Caffee usus noxius.

Vinum.

Vinum antiquum rubrum, subadstringens optimum est cardiacum pro debilibus, laxis. in æstate & epidemia putrida. Vini usus.

Præ-

Præservativa a morbo putrido.

Præservativa a morbo putrido.

Diæta fere excarnis, ſuccus limonum, jejunium frequens cum pane bene coćto & vino rubro, mane ſumptus panis toſtus cum pauxillo vini rubri, pomum citri comeſtum mane, aut cucumis acidulatus. Aut ſpiritus vitrioli in aqua frigida mane, aut liquor anodynus min. Hoff. Item panis toſtus cum vini rubri pauxillo, & ſaccharo & cinnamomo.

Præparatio ad variolas.

Præparatio ad variolas

Præparatio ad variolas male abſolvitur per mercurialia; vel autem fit *antiphlogiſticis*, vel *antiſepticis* id eſt acidis, auſteris, ſubadſtringentibus.